# DECLARATIO SVMMARIA,

Magno veritatis ſtudio ex Autographis Actorum tabulis deprompta,

QVA OSTENDITVR,

QVIS FVERIT SVCCESSVS PLACIDÆ Tractationis in Aulâ Cæſareâ, Anno 1641. & 1642. de Palatino Septemuiratu & ditionibus ſuſceptæ, & quid cauſæ ſit, cur hâc vice ad amicam compoſitionem res non fuerit adducta.



*Anno M. DC. XLII.*





OSTQVAM, solutis & absque conclusione in proximum anni insequentis Ianuarium à Sac. Cæsarea Majestate reiectis causæ Palatinæ vltrò citróque non sine aliquo progressu habitis Viennæ tractationibus, passim auditū est, nonnullos Palatinarum partium hinc inde per Romanum Imperium contra ac res habet, eum congressum apud varios traduxisse, & persuadere conatos, stetisse præcipuè per Serenissimum Bauariæ Electorem, quominus ad concordiam veniretur, quasi præ cæteris, quorum intererat, in eum causa rei non confectæ reijcienda videretur; operæ pretium existimatum est, ex ipsis Actorum fontibus declarare totius rei gestæ seriem, ad plenam eorum institutionem, quibus huiusce negotij ratio minus est comperta.

Principio igitur aduertendum est, iam anno 1639. Friderici Palatini in proscriptione defuncti Liberos Coronis Hispaniæ & Angliæ agentibus impetrasse, vt Bruxellis Conuentus haberetur, in quo inter ipsos & alios qui authoritate Ferdinandi II. Imp. gloriosæ memoriæ, iusto siue emptionis, siue alio titulo, Friderici dignitatem ac ditiones publicatas & fisco anteà obnoxias possidebant, placidè ageretur. Non immeritò neque iniuriâ Serenissimus Bauariæ Elector potuisset eam

compositionis viam detrectare, & insistere iuri legitime tam sibi quàm Wilhelmianæ Lineæ acquisito, per iustam Electoratus translationem à Ferdinando II. factam, & emptionem aliquarum Palatinarum ditionum, quarum possessionem tredecim millionū Rhenensium florenorum pretio adiuerat, & per multos iam annos quietè tenuerat, cùm præsertim ad nomina iam dicta Ferdinandi III. hodie imperantis confirmatio accessisset. Non abs re quoque tueri se potuisset Mülhusini Electoralis Conuentus sententiâ & approbatione anni 1627. Adstipulabatur etiam Pragensis pacificatio anni 1635. quæ superiora omnia rata firmáque habuerat: His nihilo tamen minùs sepositis, Serenissimus Bauariæ Elector Bruxellensia ineundæ concordiæ consilia ita non est auersatus, vt pacis amori & publicæ quietis atq; vtilitatis studio, priuata sua iura atque commoda posthaberet, deferrétque sponte, mitiora suadentibus, quæ alioqui causæ suæ minimè dubijs præsidijs fretus, tali disceptationi nunquam detulisset.

Verùm Bruxellensi Conuentu & amicâ partium tractatione, non per Serenissimum Bauariæ Electorem, qui suos iam Legatos eò destinauerat, sed per aduersarios discussâ, & ne coalescere posset, dissipatâ; Regis Daniæ Majestas, & Septemuirûm Imperij Collegium ex mero in rem communem affectu, denuò rem aggressi, Mediatorum & Interpositorum opem operámque in se susceperunt, rati se demùm controuersiæ finem, cum absolutâ dissidentium consensione, imposituros. Quamobrem subindè tam salutari negotio Ratisbonæ sub nuperis Comitijs factò initio, pacatè

actum

actum est inter partes; & cùm Comitiorum tempus effluxisset, ex Sac. Cæs. Majestatis voluntate, causâ Viennam translatâ, Serenissimus Bauariæ Elector suos illic Consiliarios ac Legatos nouem ipsos menses, & quod excedit, lubens volens habuit, etsi à Palatinis ipso statim tractationis initio & progressu, parùm aut vix quicquam bonæ spei affulgeret rei componendæ, cùm semper mordicus extremis affixi, media respuerent, & frustrarentur tum longam Bauaricorum patientiam, tum non mediocres sumptus, quibus Palatini dissidij tot votis exoptatus exitus quærebatur.

Quàm propensum ad concordiam animum Serenissimus Bauariæ Elector per totum huiusce tractationis tempus exhibuerit, non modò supra quam satis testantur Actorum tabulæ diligenter consignatæ, verùm etiam ipsi Danici & Septemuirales Legati, qui sequestres interfuerunt, non sine insigni commendatione vsque eò deprædicârunt, vt existimarent, pro ratione rei atque caussæ, à Suâ Serenitate nihil vltrà desiderari potuisse. Immò ipse Legatus Anglicus tam voce quàm scripto professus est coram iam laudatis Sequestribus, Serenissimum Bauariæ Electorem animum pacis amantem abundè satis demonstrasse, quando pacifcendæ concordiæ rationes modósque proponendo, viam ad pacem prior aperuisset, & obices, fractâ (vt aiunt) glacie, remouere cœpisset suo exemplo, quod cæteri meritò deberent intueri.

Enimuerò Sua Electoralis Serenitas principio statim constituit, obtulitque se è Palatinatu inferiori discessuram, & Sac. Cæs. Majestatis vlteriori dispositio-

ni relicturam, si modò cæteri, qui in eodem illo Palatinatu possessiones habebant, pro suâ quisque parte sequerentur ad absolutam rei Palatinæ compositionem.

Nec vero in hoc stetit pacis amor; sed cùm Legatus Anglicus & Palatini Deputati verbo atq; litteris ostenderent, sibi per Inferioris Palatinatus solam restitutionem satisfieri non posse, nisi superior quoq; Palatinatus adderetur: se ilicò, si negaretur, omnem tractationem abrupturos; Serenissimus Bauariæ Elector, ne sibi talis secessionis & conciliationis disturbatæ caussa tribueretur, vltrò & contra multorum sententiam, solo pacis & boni publici desiderio, declarauit, se superiorem quoq; Palatinatum ( quem tamen Principatum pecuniâ & quouis ære haberet potiorem quemque vt pretio distraheret, nullo iure aut suasu alioquin adduci posset) in Sac. Cæs. Majest. manus consignaturum, vt pro arbitrio de eo statueret & si quidem videretur, Palatinis restitueret, vbi primùm vicissim pretium à Sua Serenitate expositum, præsentaneo ære redderetur, vel saltem Prouinciæ Anasinæ hypotheca quam verbis disertis sibi suisque hæredibus iure constituti, tali casu, reseruârat, possidenda denuò traderetur, donec iuxta pacta conuenta iam dictum pretium plenè refunderetur: Quâ in re cum Serenissimus Elector Bauariæ nihil proposuerit aut petiuerit, quod cum Cæsareâ pactione, litteris, signis ac fide firmatâ, non consentiat, quodque Sacra Cæsarea Majestas hodie regnans sanctè non confirmârit; quis vertat vitio Bauariæ Electori, eiusmodi petitionem, aut obtendat eius culpa factum, quod hac vice finis huic causæ non potuerit imponi?

Qui

Qui enim iure suo vtitur, nemini facit iniuriam, nec culpæ vllius ea propter potest insimulari. Vt verò Lectori fiat planius, quo pacto mox à principio tam circa aditam Prouinciæ ad Anasum, quam dimissam possessionem & detentionem, & postea circa Palatinatus emptionem inter Ferdinandum I I. gloriosissimæ memoriæ Imperatorem & Serenissimum Bauariæ Electorem Maximilianum, res verè acta, tractata per vices, ac demum conclusa fuerit: visum est ad huius declarationis calcem litterarum quædam publicâ fide descriptarum documenta typis committere. Sigillatim vero ex Recessu Monacensi 8. Octobris Anno 1619. quem littera A. notauimus, videre est, quibus reseruationibus ac conditionibus Serenissimus Bauariæ Elector oblatam exercitus Fœderis catholici directionem in se susceperit. Inter cætera in specie puncto quinto pactum conuentum est fore, vt si quicquam ditionum Austriacarũ per militarem expeditionem quæ tum parabatur, ex hostium manibus recuperaretur & in Serenitatis Suæ potestatem veniret, hoc ipsum vniuersum cum omnibus suis iuribus & actionibus à Sac. Cæsareâ Majestate Serenissimo Electori eiusque posteris ac successoribus iure pignoris remaneret, ita vt neq; indè cedere neque suas copias abducere teneretur, neq; vero etiam vllius suasione, postulatis, nedum vllâ vi ad hoc ipsum posset impelli, donec sumptus in bellum facti omnes restituti & probata damna ipsi omninò compensata forent. Atque hic sanè Recessus egregiè eorum temeritatem refutat & agit in ruborem, qui non sunt veriti antehac editis libris alijsq; sycophantijs tum Sac. Cæs. Majestati Lit. A.

tum

tum Sereniſſimo Electori Bauariæ hanc impingere calumniam; quaſi mox ab initio inter eos contractus fuiſſet initus, quo ad bellicarum expenſarum refuſionem, Suæ Serenitati Electorali iam tum Electoratus & Palatinæ ditiones forent addictæ & obſtrictæ. Ex eiuſdem Receſſus rationibus atq; firmamento alijsq; inde ſecutis tractationibus, de quibus plura inferius; Legati Bauarici ex legitimo mandato, ſæpius Dominis Mediatoribus ſcripto & verbis ſignificârunt; Sereniſſimum Electorem de tredecim iſtis millionibus à Rege Angliæ aut Palatinis ne teruncium quidem poſtulare, ſed Cæſarem pro vnico legitimo & vero ſuo debitore habere, atque proindè à ſolâ Sac. Cæſ. Majeſt. eiuſce debiti ſolutionem repoſcere. Hunc eſſe Patris ſucceſſorem ac hæredem, hunc potiri Regno ac ditionibus, quorum recuperationem eius parens iſto Bauarico ære eſt aſſecutus; debere proindè ex tabularum hac ſuper re confectarum formâ, ei obligationi ſatisfacere, idq; eo magis, quod hoc ipſo tempore dum Negotium Compoſitionis tractaretur, Sua Sac. Majeſtas clementiſſimè per litteras, Viennæ eius Syngraphâ ac ſigno munitas pollicita eſt, & Sereniſſimo Bauariæ Electori addixit, ſe ſui Parentis felicem, pacta conuenta & quæ circa hanc cauſam eſſent conſtituta, ſeruaturam. Super hæc Sac. Cæſ. Majeſt. per ſuos Conſiliarios, ad Palatinam tractationem Deputatis Mediatoribus, dum hæc cauſa ageretur, declarauit, quod quandoquidem intelligeret, Palatinianos conari debitam ſummam tredecim millionum, vtpote in antiquiore pecuniæ æſtimatione expoſitam, ad præſentis temporis valorem reducere, &

ex alijs quoque capitibus reddere dubiam ac controuersam, Suæ Sac. Cæs. Majestatis mens sit, vt Mediatoribus significetur, se non esse passuram, vt hoc nomen ac debitum in dubium ac disceptationem ex hoc capite nunc primum vocetur: sed se illud agnoscere, ex normâ & pacto per legitimum litterarum instrumentum atque sigillum constituto.

At enim vt luculentiùs appareat, quænam sit ratio Palatinarum ditionum (ex qua quidem parte ad Bauariæ Electorem spectant) quæ causa tredecim iam memoratorum millionum, & cur Anglicus Legatus nullam ansam habeat eam rem ad Palatinum negotium trahendi, nedum ei adscribendi culpam, quod ad exitum tractatio non fuerit deducta; animaduertendum est, Serenissimum Bauariæ Electorem neque à Friderico, neque ab eius hæredibus Palatinatûs possessionem accepisse, sed à Ferdinando II. Imp. glor. memoriæ, eundem immediatè persoluto pretio cöemisse; dictum pretium, dudum anteaquam de emptione conueniret, ad recuperationem Regni Bohemiæ & hæreditariarum Cæsaris Prouinciarum reipsâ contulisse, ita vt multis annis, antequam de emendo Palatinatu suscepta sit, aut suscipi potuerit vlla cogitatio, Sac. Cæs. Majestas debitum contraxerit non tredecim duntaxat, sed quindecim millionum florenorum, quemadmodum tabulæ rationésque vtrinque ritè atque ordine per specialem dati atque excepti approbationem agnitæ & confirmatæ demonstrârunt, & Sac. Cæs. Majestas ipsa sese erga Serenissimum Bauariæ Electorem agnouit esse obligatam, licet postmodum Cæsari duos milliones Serenissimus Elector liberaliter remiserit.

Quare antequam ad Palatinatus emptionem veniretur Cæsar Anasinam Prouinciam, eius possessionem, fructus atque prouentus tamdiu Bauaro in manus tradidit, donec dictum æs alienum plenè totúmque ipse dissolueret, quemadmodum ex iam memorato Recessu, qui anno 1619. factus fuerat, liquidò & prolixè ostenditur. Post hæc, primùm anno 1628. secutus est contractus emptionis, quo à Sac. Cæs. Majestate Bauariæ Elector Palatinatum accepit ad dissoluendum debitum tredecim millionum. Eo factum vt Anasina Prouincia rediret ad Cæsarem, qui nihilominus in dictæ Prouinciæ receptione per euictionis & præstandæ indemnitatis sponsionem & peculiare pactum (de quo paulò pòst agetur plenius) erga Bauariæ Electorem obligauit sese suósque posteros, ad restituendam iam dictam Anasinam ditionem Bauariæ Electori eiúsue hæredibus, si aliquando, quouis casu, contingeret Palatinatum Bauaris adimi, aut euinci, atque in eum euentum Anasinam Prouinciam mansuram Electorali Bauaricæ Domui affectam & oppignoratam, & interea temporis fore eandem penes Cæsarem eiusque hęredes tantummodò iure constituti, hácque conditionem quoties mutationis casus continget, semper in homagij receptione & Prouinciæ adeundâ possessione renouari oportere, vt videlicet ea ditio Electorali Domui Bauariæ restituatur in locum ac vicem Palatinatûs, donec tredecim milliones fuerint integrè redditi, ita vt Palatinatus tantum sit surrogatum in locum eius quod Cæsarea Maiestas eiusq; hæredes, pro debito tredecim millionum, ratione Prouinciæ Anasinæ soluendum in

seipsi receperunt, quod lector clarè potest cognoscere ex Recessibus Anni 1628. die 22. Februarij & 4. Martij infrà descriptis sub litterâ B. & C. B. & C.

Ponamus igitur rem ad eum casum deuolui, vt Palatinatus superior restituatur; non erit cur exindè Bauariæ Elector detrimentum patiatur, sed res ad priorem statum reditura est, in quo nimirum ante Emptionis Contractum erat constituta, & reuiuiscet pristina obligatio, iuxta pactum & conditionem in litteris Cæsareis expressam, hoc est, Serenissimo Bauariæ Electori competet ius, tali casu, à Cæs. Majestate exigendi totum debitum tredecim millionum, & donec ea summa fuerit persoluta, in pignus Prouinciæ Anasinæ remigrandi in eoque persistendi, quo in iure debet Sua Serenitas etiam à Cæsare manuteneri.

Quod vero Sac. Cæs. Maiestas tredecim istos milliones, quos Bauariæ Electori debet refundere, de suo non soluat, sed exigat siue à Rege Angliæ, siue à Palatinis hæredibus, eosque ante plenam eius summæ solutionem (iuxta declarationem Mediatoribus factam) in Palatinatum nolit restitui, Cæsare in hâc sententiâ perseuerante, cum Anglicus Legatus tanti æris restitutionẽ crediderit esse impossibilem, eius proindè mentionem admittere noluerit, infectæ concordiæ, tam circa hoc caput, quàm alia ad alios Status pertinentia, culpa reijci non potest in Serenissimum Bauariæ Electorem.

Sed hoc quoque prætereundum silentio non est, quod si Serenissimus Bauariæ Elector Superiorem Palatinatum à Ferdinando Cæsare in vicem tredecim mil-

lionum non emiſſet, aut non accepiſſet in ſolutum, ſed ſi retinuiſſet Anaſinam hypothecam ad hos vſque Palatini negotij tractatus, & ſi vice verſa Sac. Cæſ. Majeſtas hodie Palatinis eam legem imponeret, vt anteaquam in Palatinatum reſtituantur, tredecim milliones numerarent, quibus Bauariæ Electori ſatisfiat, & Anaſina hypotheca in Cæſaris manus libera reducatur, quod ſi (inquam) tali re ac tempore, Palatini hæredes, aut Rex Angliæ eorum nomine, inopiam & tantæ reſtitutionis impotentiam, vti faciunt, obtenderent cauſarentúrque à Cæſare ſuis viribus maiora poſtulari, tantum æris à ſe corrogari non poſſe, atque idcircò nihil in cauſâ Palatinâ concludi, nihil poſſe definiri; quis obſecro prudens tum quidem culpam rei infectæ Sereniſſimo Bauariæ Electori adſcriberet, & non potius iudicaret debitum iſtud tredecim millionum cum Palatinatu non eſſe connexum, neque verò Sereniſſimo Electori incumbere, vt eius debiti ſolutionem ex Palatinatu peteret, ſed penes Cæſarem eſſe, diſpicere, vnde tandem pecuniam conficiat, ad nomen iſtud tredecim millionum diluendum, & redimendam à Bauaro Anaſinam hypothecam?

Etenim res iam in eo eſt, vt in gratiam boni publici & communis tranquillitatis, Palatinis hæredibus videatur eſſe reſtituendus Palatinatus Superior: Rectè habet; Sereniſſimus Bauariæ Elector, conſentiente etiam Cæſare, in Viennenſi tractatione declarauit, ſibi quoq; reſtituendum videri, ſe denique Palatinatu ceſſurum. Hoc igitur pactò nomen tredecim millionū reducitur ad eandem planè conditionem ac ſtatum, in quo erat, ante-

antequam Palatinæ ditiones Sereniſſimo Bauariæ Electori traderentur, & poſt talem euictionem Palatinatus liberatur ab obligatione pretij pro eius emptione perſoluti; è diuerſo autem iura & actiones, quas Bauariæ Elector ſuper Anaſinâ hypothecâ in Cæſarem habuit, quáſque in hunc caſum diſertè cum prægnantiſſimis clauſulis ſibi reſeruauit, redintegrantur & in priſtinum vigorem reuertuntur. Cuiuſmodi autem cautio indemnitatis defenſionis, tutelæ & euictionis Sereniſſimo Bauariæ Electori facta fuerit, patet ex adiunctâ copiâ Litterarum 4 Martij 1628. ſub notâ D. & in ſpecie ſub notâ E. oſtenditur conſenſus Sereniſſimi Archiducis Leopoldi fel. mem. quo pro ſe ſuíſque hæredibus pacta Cęſaris cum Bauariæ Electore ratione ſumptuum bellicorum & euictionis inita, rata habuit, ſuſceptâ in ſe eorum obligatione. *D. & E.*

Enimuerò ſi obijciatur, quod ſi Bauariæ Elector tredecim iſtos milliones à Cęſare non repeteret, ſed vel omnes, vel aliquos ſaltem eidem remitteret; futurum non eſſet, vt Cæſar eoſdem à Palatinis exigeret; Vide quam friuola ſit iſta obiectio, quámque meritò ei poſſit occurri longè maturiore reſponſione; videlicet ſi Ferdinandus II. pientiſſimæ mem. tantâ contentione à Bauaro auxilium non petijſſet, neque impuliſſet, vt tum vitam, fortunas, ſubditos, ditiones omnes; tum tot millionum ſumptus, in gratiam Sacræ Cęſ. Majeſtatis eiúſque Domus, tam periculoſæ dimicationi, támque grauibus oneribus exponeret, hæc, inquam, ſi abeſſent, nihil cauſæ eſſet, quamobrem Sereniſſimus Bauariæ Elector reſtitutionem iſtam & indemnitatem à Sac. Cęſ. Majeſtate repoſceret.

 Accedit,

Accedit, quod magoperè differant duæ istæ actiones, prȩsertim si spectentur ex ea parte, quâ cum negotio Palatino sunt connexæ. Nempe actio, quam Bauariæ Elector habet in Cȩsarem, est plana, certa, liquida, tabulis firmata, & extra omne dubium: deinde debitum, de quo agitur, à primæuâ suâ origine à Palatinis ditionibus est omninò disiunctum: ad eas enim deindè per accidens ex emptionis contractu accessit: hoc contractu rescisso, redit idem debitum (propter promissionem & stipulatam indemnitatem) ad suam primȩuam naturam: Ei Cȩsar satisfacere debuisset, si vel nunquam vendidisset Palatinatum. Nihil erat, quod Bauariæ Electorem obligaret ad dimittendam Anasinæ hypothecæ quietam possessionem, multò minùs quicquam erat iuris, quod eum ad emptionem Palatinatus obstringeret, certam rem pro incertâ dimitteret, litigiosam pro tranquillâ, seséque adeò incertis futuri temporis euentibus committeret: Quod verò in gratiam & honorem Cȩsaris, eiúsque Domus, realem possessionem Anasinæ Prouinciæ ad eam diem incolumis atque fructuosæ, cum certis clausulis ac reseruationibus, passus sit à se diuelli, quod eius loco, Palatinatum passim vastitate & ruinis redactum ad incitas, tanto dispendio & rerum suarum intertrimento denique admiserit; sanè quidem ab omnibus, quos partium studia transuersos non agunt, gratiam potiùs quàm odium, aut inuidiam est promeritus, & iure optimo potuit expectare, nec est, quamobrem ipsi suspensæ Palatinæ tractationis prorsus culpa vlla adscribatur.

Sed enim non apparet vlla causa, cur de tredecim

istis

iſtis millionibus per Bauariæ Electorem quicquam remitti debeat quemadmodum in Viennenſi tractatione fuit ipſi propoſitum & ſuaſum ; Nam primùm quidem ea pecunia ( vti iam dictum) in recuperationem Regnorum & hæreditariarum ditionum Sac. Cæſ. Majeſtatis, adeoque vtiliter commodoque Cæſaris impenſa eſt. 2. Non leue eſt, quod Sereniſſimus Bauariæ Elector ex iuſtis ſuis prætenſionibus iam duos milliones remiſerit. 3. In memoriam reuocari poteſt, quod olim in caſibus ſimilibus nihil ſit remiſſum Bauaris, ſi qui in horum auxilium & bella, pro eorum defenſione ſumptus facti; ſed ſatis ſuperque ijs fuerit ſatisfactum. Nam anno 1503. cum Dux Bauariæ Georgius fatis conceſſiſſet, & Sereniſſimi Bauariæ Electoris Maiores etiam à Palatino Rheni Haidelbergenſis ſtirpis, bello contra ius faſque petiti ad aliena auxilia reſpicere coacti fuiſſent; ſuppetias quidem opportunè ac beneuolè tulerunt tum Auſtriaci tum alij Imperij Principes ac Status, ſed omnes belli ſumptus ſingulis ad vnguem, abundè, abſque vlla remiſſione refundi debuerunt: & cũ alia ſolutionis adminicula Bauaris deeſſent, inſignia dominia, munitiones, Comitatus, iura, Ciuitates, oppida, metallicas fodinas, prouentus, ſubditos regionéſque eo numero ac bonitate, in vicem pecuniæ, dare oportuit, vt hodieque eorum fructu non ſine ingenti ſuâ vtilitate quæ ſe ad multos milliones extendit, eorum poſſeſſores potiantur, neque ſe gratuitam operam Bauariæ nauaſſe, poſſint profiteri. Vide ſi lubet Elenchum ſub litt. F. F.
4. E contra vero Sereniſſimus Elector Bauariæ vix quicquam è Palatinatu, toto quo eum tenuit tempore, collegit,

legit, sed quicquid inde natum est emolumenti, id totum propter bella continua conferre necesse fuit in eiusce Prouinciæ conseruationem, quod quidem onus pro Anasinis ditionibus sustinere opus non fuisset. 5. Quod maioris momenti est atque considerationis, multos milliones ex ijs pecunijs quas Elector Bauariæ in recuperandis Cæsaris ditionibus exposuit, ipse ex alieno ære contraxit, & per viginti ipsos iam annos & quod superat, in annuos census vltra duos milliones suis creditoribus persoluit ex proprio ærario atque suæ quæsturæ prouentibus. Ita non suis duntaxat subditis graue onus imposuit, sed se ipsum quoque ingentibus affecit incommodis. Interea Sac. Cæs. Majestas gauisa est pleno fructu Prouinciæ Anasinæ, atque ex ea vltrà mediam partem tredecim millionum collegit, ex quo Serenissimus Bauariæ Elector eam cessit, qui fructus omnis Bauaro obuenisset, si in diuite ac opulentâ Anasinâ hypothecâ fixisset pedem, & in eius vicem vastatum Palatinatum admittere non debuisset. 6. Quod si super hæc omnia res eo deueniret, vt nihilominus adhuc facienda aliqua diminutio de tredecim millionibus videretur, hoc ipsum quod decederet, Serenissimũ Elect. Bauarũ de suo supplere & creditoribus satisfacere (prout iuris est) vel sanè contra ius fasque creditores damno affici oporteret: quorum vtrumuis fiat, innocentes alienam culpam luere necesse sit: Et per consequens Serenissimus Elector cum ingenti detrimento ac rerum suarum iactura, alienarum ditionum recuperationi se suaque gratis, immò suo damno impendisset. 7. Quod boni publici ratio habenda sit, atque in eius

gratiam

gratiam exiſtimetur Sua Serenitas aliquid creditoribus eſſe remiſſura; id vero in Palatinâ tractatione iam non vno modo factum eſt: nam Cęſ. Majeſtati iam olim duos milliones Bauariæ Elector remiſit, & nuper addixit ſe vtrumque Palatinatum reſtituturum Cęſari, à quo eum accepit, nec tamen viciſſim exegit aliud quam vt ſibi tredecim milliones qui adhuc ſuperſunt, quoſque Cęſar aliàs debitos cum Palatinatu commutauit, refundantur; vt ſeruetur indemnis iuxta pacta litteraſq; Cæſareas hac ſuper re legitimè confectas. Quod ſi ex fundamento hac de re iudicandum ſit; omnes qui hactenus vrſerunt vt Palatinis ditiones iſtæ reſtituantur, rationem boni publici in hac reſtitutione ſtatuerunt, rati, ſi ad eas ditiones Palatini poſtliminio reuertantur, nec omninò ab omni ſpe aut parte Electoralis dignitatis excludantur, pręclare cum ipſis actum iri, & eos quidem cum gratiarum actione potius eam conditionem, quam nouarum turbarum in Imperio, conſilia admiſſuros. Atqui Sereniſſimus Bauarię Elector in Viennenſi congreſſu reſtitutionem Palatinarum ditionum, quas ipſe poſſidet, obtulit, atq; ſic equidem impleuit (quantum in ipſo eſt) idipſum, ex quo boni publici cauſa creditur nexa atque dependens.

Quòd vero Sereniſſimus Elector Viennæ per ſuos Conſiliarios poſtulauit atque etiamnum poſtulat à Sac. Cęſ. Majeſtate tredecim millionum ſolutionem, (quorum pars potior ſpectat ad Electoris creditores) aut certè iuxta promiſſorum & pactorum tenorem ſibi legitimè ſufficienterque reipsâ caueri atque proſpici, hoc enimuerò nihil habet commune cum bono publico,

ſed proprium atque priuatum Cęſaris commodũ duntaxat concernit, cum ſit eiuſmodi debitum, quod ſolummodo ex priuato contractu inter Cęſarem & Bauariæ Electorem natum eſt, quodque ad Palatinas prouincias per ſe non pertinens, à Cęſare Ferdinando II. primum Palatinatui eſt alligatum.

Super hæc Sereniſſimus Bauarię Elector per ſuos Legatos Mediatoribus ſignificandum curauit, quod poſteaquam res circa Palatinas Prouincias planè foret compoſita, deindè non illibenter auditurus eſſet Mediatorum media modóſque, quos iudicarent eſſe opportunos ad finiendam quoque de dignitate Electorali, ſi quæ ſupereſſet, diſceptationem, ne vel hinc vlla belli cauſa remaneret, aut quiſquam ex vero poſſet cauſari, defuiſſe ſuis partibus Bauariæ Electorem, aut rebus pacandis vllam remoram attuliſſe. Quod autem tractationes poſt tanti temporis non mediocres labores & ſumptus optatum finem non ſint conſecutæ, penes Sereniſſimum Bauarię Electorem planè non ſtetit: quippe qui ſuis partibus nullo modo defuit, ſed (prout iam oſtenſum) vltra debiti ſui limites eſt progreſſus. Neque enim ad vltroneam reſtitutionem, de qua ſuperius, vel ceſſionem Palatinatûs vllo iure tenebatur, nec iuſtè ipſi poterat imponi vt legitimè aditum & poſſeſſum Principatum inuitus pecuniâ mutaret: hoc enim in Imperio non eſt vſu receptum, aut legibus conſentaneum, quæ ſanciunt, quod aliud pro alio inuito creditori non poſſit obtrudi. Quocirca Lectori beneuolo iudicandum relinquitur ex omnibus ſupra memoratis, vtrúmne Sereniſſimo Bauarię Electori, an

alijs,

alijs, qui ab ipſo tractationis ingreſſu ad ipſum vſq; exitum ſuis poſtulationibus affixi mordicus, ab extremis conſilijs ad nullam moderationem adduci nequiuerunt, tribui debeat, quod hæc Tractatio hac vice non fuerit concluſa. Etenim ſi ipſi ſeriam tractandi & concludendi mentem ſuſcepiſſent, non eò vſque Dominorum Mediatorum tot curis & laudatiſſimo zelo ſic fuiſſent abuſi, vt nono primùm menſe, contrà ac principio aſſeuerauerant, obtenderent defectum poteſtatis idoneæ, & re infectâ negotij compoſitionem interrumperent.

Quare Sereniſſimus Bauariç Elector tandem animaduertens, nihil æquum ab aduerſarijs eſſe expectandum, ſuis Conſiliarijs & Legatis in mandatis dedit, vt (quemadmodum ex proteſtatione lit. G. prolixius apparet) apud Mediatores rurſus, pacis amica conſilia & propenſiſſimum ipſius in communem concordiam atque quietem animum voce ſcriptóque profeſſi conteſtarentur, eóſque teſtes aſſumerent; Sereniſſimum Electorem ſuis partibus nihil omninò defuiſſe: Quoniam nihilominùs hac vice nihil eſſet concluſum, ſed tractatio dilata in aliud tempus, id quidem etiam Suam Serenitatem non abnuere; quo verò tempore & loco in futurum Sac. Cæſ. Majeſtati & Dominis Mediatoribus placitum & commodum viſum fuerit, hanc Palatinam tractationem reaſſumere & continuare, Suam Electoralem Serenitatem eâ de re certiorem factam, non recuſaturam, ſed pro ſua parte ei rei prouiſuram; attamen eandem diſertè proteſtari, ſe per diuerſas ſub certis conditionibus datas ſuas in hoc tractatu propoſitiones nihil G.

admittere, ne in minimo quidem, quo suo iuri possit esse detractum; sed reuocata omnia & singula, atque optimo quo fieri potest modo, reseruata velle, eo pacto, quo pars vtraque statim initio tractationis huiusmodi conditiones atque reseruationes præmisit, protestando omnes declarationes & propositiones tamdiu fore inualidas atque irritas, donec omnia ad absolutam concordiam & compositionem essent perfectè deducta.



# Lit. A.



QVIA Sacra Cęsarea nec non Hungariæ & Bohemiæ Regia Majestas, & Reuerendissimi, Illustrissimi, ac Serenissimi Electores Ecclesiastici per suum Legatum, Dominum Itelium Fridericum Comitem de Hohenzollern, Serenissimum Bauarię Ducem Maximilianum de præsentissimo & extremo periculo, in quo prędicta Cęsarea Majestas, ac Domus Austriaca, nec non per hoc omnes Catholici Status Imperij, & ipsa Catholica Religio versatur, abundè admonuerunt, & quàm instantissimè rogârunt, vt Sua Serenitas plenarium Directorium Catholicæ defensionis & pręparationis (ad quam quidem Catholici Status Imperij pro bono Sac. Cęsareæ Majestatis, eius Domo & Prouincijs periclitantibus, nec non ad conseruationem propriam & Catholicæ Religionis sunt adacti,) in se suscipere & Reipublicæ communi saluti succurrere velit: Sua Seren: posthabitâ magnitudi-

ne

ac oneris, periculi, & maximis incommoditatibus, in quæ Suam Personam, Domum, Prouincias, Subditos, ac sua omnia conijcit, ad demonstrandum animum in Sacram Cęsaream Majestatem, Regem Catholicum, totam Domum Austricam, Catholicos Status Imperij, Religionémque Catholicam propugnandam, propensissimum, ac anteà sæpius re ipsâ demonstratum, pręponendo publica etiam omnibus priuatis, in Nomine Domini præpotentis prædictum oblatum liberum & absolutum Catholicæ defensionis & exercitus congregandi & ducendi Directorium, expressâ hac conditione, in se suscipere parata est, videlicet, quamprimum ad id media necessaria, præparationes in pecunijs, milite, reliquísque requisitis (quæ partim iam cum Dominis Electoribus communicantur, & propediem cum reliquis Catholicis Statibus Imperij communicabuntur, & communi voto necessaria iudicabuntur) Suæ Serenitati realiter fuerint consignata: Quod tunc eadem Sua Serenitas stabilitâ prius suâ suorúmque Confœderatorum defensione, etiam Suę Majestati aduersus eorundem aduersarios & hostes, eo modo, quem Sua Serenitas, pro rerum, temporum circumstantiarum qualitate vtilem & expedientem censuerit, fideliter adsistere & succurrere velit, quantum se supradicta præparatio media & vires extendunt, & occasio ac circumstantiæ patiuntur. Cum námque hæc omnia sint incerta, ideo Sua Serenitas etiam ad nihil certi sese obligare potest, præterquam, quod illa pro suâ personâ nihil planè sit intermissura, quæ in eius potestate sunt: nec enim tam Sua Cęs. Majestas, quàm Domini Electores suam

oblationem & petitionem aliter intelligunt, aut à Sua Serenitate Directorium aliter suscipiendum volunt. Idipsum plenarium absolutum & liberum Directorium Sua Cęs. Majestas, aut alij ex Sua Domo nullo modo aut nullo in loco impedient, nec patientur, vt ab alio quocunque impediatur, quin potius omni modo curabunt; vt vbique promoueatur.

II. Quia verò per directionem, succursum, & expeditionem apertam, in fauorem Suæ Cęs. Majestatis, Serenissimus Dux Maximilianus omnes Suæ Majestatis hostes nec non correspondentes Protestantes in sese concitabit, sibíque inimicos reddet, ideò expressè cautum, ne Sua Majestas, & eius Domus cum aduersarijs & hostibus vllum tractatum, suspensionem, depositionem armorum, aut vllas conditiones pacis ineant, nisi scitu, consensu & interuentu Serenissimi Ducis, saluâ ratione damnorum & expensarum (de quibus infra) prout ad idem vice versâ Sua Serenitas sese adstringit.

III. Si Serenissimus Dux Bauarię sese non mouerit, & quieuerit, etiam in Sua Prouincia sese ab hostibus Cęsareæ Majestatis, & alijs tutum arbitratur: sed quamprimum sese in fauorem Suę Majestatis, & Domus Austriacæ declarauerit, tunc certè propriam Personam, Prouinciam hostibus quasi vbique cinctam, ac Sua omnia periculosissimo euentui & casibus, séque immensis laboribus, curæ, solicitudini ac exponit: sed insuper parata est, præter hæc iam dicta (quæ tamen in se sunt maxima) etiam omnia facere, contribuere, & concurrere in omnibus pro Sua quota, quantum reliqui Catholici Status Imperij faciunt, contribuunt & concurrunt.

Sed

Sed quia non dubium eſt, quin adhuc plura in tali expeditione erunt facienda, ac plures ſumptus impendendi, & damna in bonis ſuis ac Prouincia ſubeunda: ideò Sua Cęſarea Majeſtas, cum totâ ſuâ Domo obligata erit, ſub cautione & hypothecâ omnium bonorum, nullis exceptis, Sereniſſimo Duci Bauariæ refundere tam damna, (ſi quæ ſint grauia & enormia vulgò Landtſchaden) quàm omnes expenſas, quas in exercitum & apparatum bellicum (quem præter defenſionem propriæ Prouinciæ, in auxilium Sacræ Majeſtatis Cęſareæ vel educet, vel pro circumſtantiarum qualitate intra fines ſuos in ſubſidium Suæ Majeſtatis aduerſus eiuſdem hoſtes continere, vel obijcere debet, & vltra quotam quam cum reliquis Statibus Vnitis contribuet) impendiſſe aut paſſus fuiſſe per liquidationem conſtabit, & donec hoc fiat, tantum ex bonis Auſtriacis hypothecario ſaltem iure tradere.

Si porrò Sereniſſimus Maximilianus partem aliquam ſuæ Prouincię, aut totam per hanc expeditionem amitteret, promittit Sua Majeſtas omnem operam ad recuperationem amiſſorum; aut ſi Suæ Cęſ. Majeſtati, & Sereniſſimo Duci conſultum viſum fuerit, nec dum ſecutâ huiuſmodi reſtitutione pacem cum hoſte inire, aut etiam in caſum non ſubſecutæ pacis (finiti tamen belli) tum Sua Cęſ. Majeſtas cum Domo Auſtriacâ obligata ſit, tantundem ex bonis ſimilibus Auſtriacis refundere. IV.

Si Sua Serenitas expeditione ſuâ, in Prouincijs Auſtriacis aliquid è manibus hoſtium armis eripuerit, & in poteſtatem ſuam redegerit, id omne cum omnibus V.

bus & quibuſcunque emolumentis, iuriſdictionibus, iuribus & pertinentijs manebit in poteſtate Sereniſſimi Ducis & ſucceſſorum iure pignoris, nec inde cogetur recedere, aut educere militem, donec dicti ſumptus extraordinarij & damna liquidata, fuerint reſtituta: ita tamen vt Sua Serenitas, ipſiúſque hæredes, in illis bonis, nullius Iuriſdictionem & Superioritatem, quàm perſonalem ipſiúſmet Supremi Principis illius Prouinciæ, hac in parte agnoſcere teneantur: nec comprehendantur ſub hac obligatione Hypothecæ Bona Principis Cameralia hæc, Salinæ, Fodinæ, & Telonia, niſi ad dictam reſtitutionem alia bona non ſuffecerint.

Deníque multum intereſt, & expedit vtrínque, vt locum tenens Cæſarei exercitus cum Sereniſſimo Maximiliano diligenter, & ſemper benè ac fideliter mutuis informationibus ſucceſſuum & intentionum correſpondeat atque communicet.

Hæc omnia acta & tractata ſunt, ac reciprocè promiſſa, per dictam Cæſaream Majeſtatem, & Sereniſſimum Maximilianum, ſub Sigillo & manu eiuſdem Cæſareæ Majeſtatis, & Sereniſſimi Maximiliani Ducis. Monachij 8. Octobris Anno 1619.

*Ferdinandus* *Maximilianus*

(*L. S.*) (*L. S.*)

Lit.

# Lit. B.


# EXEMPLVM RECESSVS EMPTIONIS SVPERIORIS ET partis alicuius Inferioris Palatinatus, & viceuersa Retrocessionis Ditionis ad Anasum.

*Monachij 22. Februarij Anno 1628.*



Escriptio Articulorum, qui nomine Rom. Imperatoris necnon Hungariæ & Bohemię Regiæ Sacræ Majest: per me eiusdem Consiliarium intimum, Camerarium & Legatum Maximilianum Comitem à Trauttmanstorff, Baronem in Gleichenberg, Negau, Burgau, & Tatzenbach, Dominũ in Bischoffdeiniz, Merschavv, & Tscheschemritz, ex Sac. Cæs. Majest. plenipotentiâ; Et nomine Serenis. Electoris Bauariæ &c. ex eiusdem clementissimo mandato, per nos ad hoc Deputatos, Ioannem Christophorum Baronem à Preising in Altenpreising, Dominum in Hohenaschau, Reichenspeyrn & Saxenkham, Suæ Electoralis Serenitatis Consiliarium intimum, Camerarium, Aulici Senatus Præsidem, Præfectum in Pernstain; Ioannem Peringer Iuris vtriusque Doctorem, Consiliarium intimum & Præfectum in Weilhaimb: Osvvaldum Shuss in Peylnstain Consiliarium intimum, Cameræ Electoralis Præsidem & Præfectum in Rottenburg: & Ioannem

nem Mändl in Deitenhofen Cameræ Electoralis Consiliarium & Feudorum Præpositum, in causâ retrocessionis Archiducatus ad Anasum, & vicissim venditionis superioris Palatinatus eiusque ditionum cis Rhenum, factæ Serenissimo Electori, conclusi sunt.



Rimò Sac. Cæs. Majestas memoratæ suæ Electorali Serenitati apertum & ad se pertinentem Principatum Superioris Palatinatus Bauarici vnà cum eiusdem Principali dignitate, præeminentia & alijs omnibus Iurisdictionibus & Regalibus, tam quoad Prouinciam ipsam, quam subditos, pariter cùm tributis prouincialibus, vectigalibus, gabellis, censibus, telonijs, portorijs, alijsque omnibus prouentibus, vsibus reditibus, pręstationibus, iuribus, legitimis actionibus, Feudalibus tum Ecclesiasticis tum ciuilibus, pertinentijs & annexis siue dependentijs (exceptis tamen pręfecturis Parckensteinensi, Weydensi, & Pleiensteinensi) velut Feudum à Sac. Cęs. Majestate & Rom. Imperio dependens vendidit accessit eâ lege ac conditione, vt prędicta remaneant penes Lineam Wilhelmianam, ad quam verum ius Septemuiratus modò spectat, eamque stirpis masculinæ: Quod si verò casus aperturæ contingat, deficiente sexu masculino, Romanum Imperium vel Agnati in quos cadere possent, Ducali Ferdinandææ masculinæ Lineæ, vel eâ pariter deficiente, alijs hęredibus Allodialibus, in vicem cessionis, pretium emptionis, vnà cum meliorationibus quæ probari poterunt esse factæ, & quod interea de

summis

summis capitalibus super vtrumque hunc Palatinatum acceptis & constitutis exsolui deberet, pręsenti pecuniâ restituent: Serenissimo Electori verò eiusque hæredibus liberum erit de dicto emptionis pretio & meliorationibus pro arbitrio disponere.

Secundo Sac. Cæs. Majestas Serenissimo Electori, separatim, iure emptionis, cedet ex inferiore Palatinatu, Pręfecturas quas Sua Serenitas administratorio nomine ex hâc parte Rheni iam tenet, cum locis Haidlshaim, Wingarten, & Häckenhaimb, quæ ad pręfecturam Pretthaimensem & Haidlbergensem spectant, & pro nunc in Reuerendissimi & Illustrissimi Archiepiscopi & Electoris Treuirensis tanquam Episcopi Spirensis, manibus & administratione existunt (nisi interim Sac. Cæs. Majestas eadem ista plenè dimisisset, aut Serenissimo Electori probari posset, illa ad Ecclesiam Spirensem iure pertinere) castrum etiam Stain cum omnibus suis tam intra quam extra positis pertinentijs, vbi primum abducto Hispanico præsidio in Sac. Cæs. Maiestatis manum venerit (quod vt fiat eadem apud Regem Hispaniæ & Serenissimam Infantem procurabit, atque declarabit se dictum castrum cum suis pertinentijs Serenissimo Electori cessisse) cum omnibus Principalibus suis altis & inferioribus dominijs; regiminibus, vsibus, prouentibus, feudis siue Ecclesiasticis siue secularibus ex hac parte Rheni sitis, & sic ijs duntaxat quę vltra Rhenũ sunt exceptis, eodem modo, ijsdem qualitatibus legibus ac conditionibus quæ ante in Superiore Palatinatu sunt expressę. Debita vero liquida quæ iam dictis regionibus inhęrent, Imperij collectæ,

Cameræ Palatinum, & aliæ id generis contributiones & onera, pro ratâ proportionaliter diuidentur, & Suæ Electorali Serenitati nihil imponetur vltra id, quod proportione dictarum præfecturarum, respectiuè ad cæteras Palatinas ditiones & Præfecturas, quas proscriptus Comes Fridericus Palatinus alias possedit, debebitur; ita tamen vt Sac. Cæs. Majestati eiusque Domui, per ea loca, transitus terrâ & aquâ iuxta Imperij constitutiones, semper maneat apertus.

Insuper Sac. Cæs. Majestas, quantum ad dictum Principatum Superioris Palatinatus attinet, vbi primũ cætera erunt composita (excepta tamen reductione locorum Haidlshaim, Wingarten, Häckenheim & Stain, in quibus adhuc mora aliqua posset esse) conuocabit in dicto Palatinatu, ad diem 25. Martij proximè sequentis, vel prout Sac. Cæs. Majestas in sua Ratificatione clementissimè posset declarare, Prouincialia comitia, atq; in his per certos Commissarios more solenni Serenissimum Bauariæ Electorem Ordinibus siue Statibus Palatinatus proponet, ipsis iniunget præstandum homagium, & dictum Principatum Suæ Electorali Serenitati cedet & tradendum curabit.

Quod autem ad dictas præfecturas inferioris Palatinatus adtinet, faciet quoque debitam & decentem prouisionem, ordinando similiter requisita, primo quoq; tempore vel simul cum præcedentibus, vel proxime statim, vbi primum Serenissimus Elector id voluerit.

Tertio Sac. Cæs. Majestas dabit operam (ad quod ipsa quoque sese per præsentes obligat) vt impetret à

Summo

Summmo Pontifice pro Serenissimo Electore consensum, vt hic frui possit bonis Ecclesiasticis Superioris Palatinatus ad annos duodecim, ab ineunte hoc anno millesimo vigesimo sexto inchoandos.

Circa vsumfructum & reditus Ecclesiasticos Præfecturarum & bonorum inferioris Palatinatus:

Etsi Sac. Cæs. Majestas pari ratione non vult obligari ad obtinendam similem dispensationem neque ad euictionem; tamen non parcet vlli curæ & diligentiæ, quatenus eam quoque obtinere & Serenissimo Electori procurare possit. Atque hic quidem bonorum Ecclesiasticorum vsus hanc habet limitationem, quod ex ijs ante omnia, tum Præsidiarij milites, si qui ad has Prouincias deinceps fuerint necessarij, sua stipendia accipient, tum sumptus fient ad restituendum & propagandum diuinum cultum, aliaque siue ad Dei honorem siue ad religionis causam pertinentia. Quod vero superfuerit, hoc ipso Serenissimus Elector ad instar secularis reditus, frui poterit & gaudere ad annos duodecim. Si autem pontificius consensus ratione præfatorum prouentuum Ecclesiasticorum Superioris Palatinatus ad dictos annos, vel omninò nullus obtineretur, Sac. Cæs. Maiestas iacturam & diminutionem, quæ intra duodecim annos, ab anno iam currente numerandos, liquidari poterit, Serenissimo Electori vel ipsius Hæredibus, ex proprijs Salinarum ad superiorem Anasum prouentibus (qui in hunc euentum erunt obligati) refundet & restituet.

Quarto Sac. Cæs. Majestas Serenissimo Electori pigneratitium arrhabonem, quo Præfectura & domi-

nium Camense olim Comitibus Palatinis præcedentibus fuerunt oppignorata, & deinde cum eiusdem arrhabonis reseruatione in Serenissimum Electorem fuerunt denuo translata, vnà cum prætensis Palatinorum Comitum meliorationibus & expensis remittet & condonabit : Qui vero sumptus in præsidia eiusdem Præfecturæ facti sunt, ex quo tempore ipsa à Serenissimo Electore possidetur, pariter remittentur.

Quinto Statibus Superioris Palatinatus non confirmabuntur priuilegia quæ ante habuerunt, nec dabuntur noua; sed Sac. Cæs. Majestas rem in præsenti statu relinquet. Similiter Sac. Cæs. Majestas renunciabit mulctis ac pœnis ob delicta tam in præsens quam in futurum infligendis siue Statibus, siue alijs incolis ac subditis superioris Palatinatus, & earum ditionum ac locorum, quæ Serenissimo Electori possidenda traduntur.

Sexto Sac. Cæs. Majestas eiusque Serenissima Austriaca Domus Germanica, se Serenissimo Electori eiusque Hæredibus promisso obligabunt, quod, si quo casu eueniat, vt Serenissimus Elector vel eius Hæredes ratione Superioris Palatinatus aut Præfecturarum Inferioris Palatinatus, bellicâ vi petantur, infestentur aut inuadantur, quandocunque, quoties, & quocunque tandem modo id contigerit, eadem suis sumptibus & supremis viribus ac conatibus Serenissimo Electori & hujus hæredibus opem feret, & eosdem firmiter defendet & manutenebit in omnibus quæ vi huius pacti semel Serenitati Suæ vendiderit, cesserit, & tradiderit.

Sacra Cæs. Majestas etiam conabitur persuadere

Regi Hiſpaniæ, vt pro ſe ac ſuis hæredibus promittat & ſe ſcripto obliget, in prædicto caſu violentæ infeſtationis ſuperioris Palatinatus & ſimul venditarum Præfecturarum inferioris Palatinatus, ad pariter aſſiſtendum Sereniſſimo Electori eiuſque hæredibus, iungendaque auxilia vnà cum Sereniſſimâ Domo Auſtriacâ Germanicæ nationis. Attamen Sac. Cæſ. Majeſtas quæ ad hanc rem ſolum conatũ promittit, ſi poſt adhibitam operam nihil eiuſmodi ab Hiſpaniâ impetraret, ad aliud non tenebitur; ſed duntaxat deficiente Hiſpanicâ aſſiſtentiâ, pacta conuenta inter Sac. Cæſ. Majeſtatem, & Sereniſſimum Electorem nihilominus in ſuo vigore remanebunt.

Item ſi (quod ſperatur nunquam euenturum) Sereniſſimo Electori eiuſue hæredibus Principatus ſuperioris Palatinatus, & ſæpius memoratæ inferioris Palatinatus Præfecturæ (exceptis ſupradictis locis Haidlshaimb, Wingarten, & Hachenhaimb, pro quibus Sac. Cæſ. Majeſtas nullam in ſe ſuſcipit euictionem) per vim aut alio modo eriperentur, & conſequenter eorum poſſeſſio auferretur, quod tali inexpectato caſu, Sereniſſimus Elector eiuſque hęredes ſuum plenum regreſſum habebunt in Ducatum Auſtriæ ad Anaſum & eiuſdem reditus ac prouentus, donec Sereniſſimo Electori vel ipſius hæredibus aliundè ſufficienter fuerit ſatisfactum, hoc eſt, donec ipſis tredecim milliones florenorum perſoluti fuerint, vnà cum meliorationum expenſis, perſolutis debitis, damnis, alijſque quæ iure eſſent repetendæ; vtque dicto Ducatu eiuſque fructibus ac reditibus non ſecus atque antehac frui & gaudere poſſint,

ſint, quemadmodum anno 1623. in Comitijs Ratiſbonenſibus & poſtea, inter Sac. Cæſ. Majeſtatem & Sereniſſimum Electorem plenius conuenit.

Sac Cæſ. Majeſtas Sereniſſimo Electori ſuper his omnibus in formâ conſuetâ litteras Emptionis, defenſorias, & protectoriales & inueſtituram Electoralis dignitatis in Suam Serenitatem & hæredes ac poſteros Ducalis Wilhelmianæ Lineæ, translatæ, prout conuentum eſt, necnon ſæpius memorati ſuperioris Palatinatus & Præfecturarum Palatinatus inferioris, in tot inſtrumentis quot erunt ad hæc neceſſaria & in optimâ formâ conceptas, ſimiliter ad 25. Martij proximum, vel ſi tam cito id fieri non poſſet, ad alium diem vtrinque acceptatum, expediendas & tradendas curabit.

Septimo Sereniſſimus Elector ex eo ſalis apparatu, qui tempore retroceſſionis de cocto Gmundenſi ſale ex Archiducatu Auſtriæ ad Anaſum, in dolijs iam in Auſtriam ad inferiorem Anaſum deuectus, & iſthic vel in vtrâque officinâ Salinariâ in ſuperiore Auſtriâ in maioribus dolijs, & inſuper ad promptuarium originarium quod in comminuto aut contuſo ſale præ manibus erit, debitum ac iuſtum pretium ad ſingula minora dolia vel maiora (cum reſeruatione tamen 500. lib. ad fines Hungariæ deputatarum, de quibus nihilominus detrahentur 74. lib. quæ ſuperioribus annis vltra debitum fuerunt acceptæ, quemadmodum Sac. Cæſ. Majeſtas iam ſcripto declarauit) in eorum diuenditione ſeruabit ad eum modum qui hactenus ſeruatus eſt: ad quod Sac. Cæſ. Majeſtas præſtare manum adiutricem, vltrò citroque concordatos euectionis termi-

nos ac clausuram obseruare, & cæteroqui in dicti salis distractione nullum impedimentum ponere tenebitur.

Si præter iam dictum salis penum in officinis salinarijs superioris & inferioris Austriæ iam per vasa maiora ac minora dispositum, alia præterea salis annona in sale durato & nondum conuasato in caldarijs tribus ad ipsum primarium siue originarium promptuarium, & in Gmundt, tempore retrocessionis reperiretur; sic de huiusmodi nondum conuasato sale conuentum est (nam de conuasato qui pro eo tempore nondum esset auectus, eadem illa quæ iam ante septimo hoc articulo dicta sunt, debent intelligi) vt videlicet tempore prædictæ retrocessionis, siue deinde sal in maiora, siue minora dolia aut vasa compingatur, siue non conuasatus auehatur, simultaneâ & communi operâ debeat computari, necessarijs tamen expensis inde deductis, & deinde abduci & distrahi, sic tamen vt Officiales & Ministri à Sac. Cæs. Majestate & Serenissimo Electore adhoc deputati, similem, communem ac simultaneam custodiam & clausuram habeant non modo salis ipsius, sed etiam pecuniæ ex eodem sale collectæ, ita vt ex dicti salis pretio siue pecunia, quoties aliquid ex arcâ communi eximetur, numerabitur, & diuidetur; primum quidem & ante omnia ex communi & indiuisâ pecuniæ prędictæ massâ, Serenissimo Electori refundatur integrè & absque vlla diminutione sumptus totus per Suam Serenitatem (cum non nisi ad medietatem pro sua parte; Sac. vero Cęs. Majestas ad alteram, vigore huius concordati teneretur) factus, tam ad scaturiginem siue fodinam in monte, quam ad syluas, & in officinâ coctoriâ,

riâ, & in conuasando & educendo sale alijsque omnibus, vsque ad ipsam diuenditionem inclusiuè. Quod autem post tales sumptus persolutos ex salis pretio superfuerit, hoc ipsum singulis vicibus in duas æquales partes diuidetur, quarum altera, vno asse siue grosso in singula dolia minora debito simul computato, Sac. Cæs. Majestati cedet, altera vero pars Serenissimo Electori tradetur, prout de iure debetur. Quod si Sac. Cæs. Majestatis auxilium in aliquo foret necessarium, eadem obligabitur illud prębere, & alioquin impedire, ne præiudicum, aut impedimentum vllum inferatur Serenissimo Electori, quamdiu hic habuerit partem aliquam aut interesse in noui salis distractione, qui post denuo aditam à Sac. Cæs. Majestate prouinciæ Anasinæ possessionem fuerit confectus, siue alio quocunque modo aut ratione.

Octauo Sac. Cæs. Majestas ex Dominio Eferding in Prouinciâ Anasinâ sito & ab Erasmo de Starenberg per publicationem & confiscationem abstracto, quicquid & quantum ad Sac. Cęs. Majestatem per dictam confiscationem deuenit (solutis ijs quæ indè creditoribus debebantur) Serenissimo Electori vigore huius contractus emptionis cedet, eâ tamen lege, vt tum à Sac. Cæs. Majestate, tum ab alijs, in quos ius ipsa suum transferre voluerit, possit semper redimi.

Pari ratione Serenissimi Electoris intentio & dispositio, quam iam fecit circa apertum & Sac. Cęs. Majestati traditum Dominium Ioannis Iörger, Thellet nuncupatum, in suo robore permanebunt.

Vicissim Serenissimus Elector remittet omne ius

&

& actionem suam ratione sumptuum pro Sac. Cæs. Majestate ad bellum factorum, vsque ad 28. Decembris anni 1622. & Ratisbonæ vtriusque partis consensu & approbatione ad summam totalem tredecim millionum florenorum reductorum, quos sumptus remittet Sua Electoralis Serenitas, tam quoad ipsum capitale, quàm quoad interesse, & quidquid præterea Sua Serenitas ob expensas bellicas ad hunc vsque diem à Sac. Cæs. Majestate posset repetere. Præterea posteaquam præcedentia omnia iuxta tenorem superioris §. *Insuper. art. 2.* fuerint impleta & absoluta, Serenissimus Elector Archiducatum Austriæ ad Anasum, hactenus propter explicatas prætensiones à se iure hypothecario possessũ & cum fructibus obtentum atque omni iurisdictione & emolumento (exceptis ijs, quæ in §. superiori, *Septimo, &c.* ratione confecti salis reseruata sunt) simul cum designatis & possessis, non tamen exceptis aut reseruatis dominijs (inter quæ in specie numerari debent Erlach & Köpach) & cum mulctis, quæ ex sexcentis millibus nondum sunt illatæ in ærarium, pari passu eodémque die, per suos Commissarios plenariè resignabit & cedet; ministros isthic constitutos, quantum ad officia Anasinam ditionem concernentia liberos, & Iuramenti obligatione solutos pronunciabit, & Sac. Cæs. Majestatis clementissimæ dispositioni absque vlla reseruatione (exceptâ tamen supradicti regressûs conditione) relinquet. Ordinabit etiam Sua Electoralis Serenitas, & mandabit suis Officialibus, quatenus suarum rationum siue computationum originale, vel saltem earundem exemplum siue copiam penes officia ad futuram instru-

ctionem & informationem; Item apud rem Salinariam in Gmundt tanquam in primario receptaculo, facta præparatoria, tam in fodinâ quàm in syluis, quocunque tandem nomine censeantur, ad vsus futuros, relinquantur.

Secundò, Serenissimus Elector vnà cum memorato Superiore Palatinatu etiam in se suscipiet soluenda debita eidem imposita, quæ Sacra Cæs. Majestas & ipsius in Superiore Palatinatu antehac constituti Commissarij pro liquidis agnouerunt, citra Sac. Cæs. Majestatis onus aut obligationem.

Tertiò, Serenissimus Elector mox ab aditâ possessione Principatus Palatinatus Superioris, ad cauendas inposterum caussas dissensionum & differentiarum, quæ inde oriri possent; curabit agi cum Sac. Cæs. Majestatis Commissarijs ad hoc deputatis, de terminandis finibus dicti Principatus versus Bohemiæ Regnum, & vt hoc negotium iustũ finem consequatur. Interim tamen dum hæc fiant, status finium ac terminorum, qui nunc est, manebit in præsenti suâ conditione.

Quartò, Etsi Sacra Cæs. Majestas clementissimè confidat fore, vt posteaquam res vel ad Electoralem Conuentum, vel ad Comitia Imperialia deuenerit, & proscriptus Comes Palatinus Fridericus ipse Superiori Palatinatui, & ijs quæ ex Inferiori Palatinatu Serenissimo Electori concessa fuerint, renunciauerit; vel si Serenissimo Electori placeret, vt, Cæsareâ resolutione, ratione cessionis dicti Superioris Palatinatus & Præfecturarum Inferioris Palatinatus, Electoribus notificatâ, ipse per sequentem eorundem approbationem, siue

vnani-

vnanimem, siue per maiora, Imperialem protectionem desuper impetraret, sicque fieret causa communis; tum quidem nulla vlterior manutentio particularis, assistentia, & euictio futura esset necessaria; Quia tamen hoc ipsum incertum est, Sac. Cæs. Majestas, eiusque Hæredes & Successores nihilominus hac in parte volunt manere obligati, vt siue simpliciter & absolutè res deueniat ad renunciationem Palatini & ad vniuersalem Imperij protectionem, siue non; ad annos triginta à pręsenti tempore computandos, vel ad annos quindecim ab eo tempore, ex quo Palatini renunciatio & Imperij protectio simul ambæ fuerint actualiter & reipsá consecutæ, numerandos; Sac. Cæsarea Majestas ad particularem iam memoratam manutentionem & euictionem teneatur. Post istos tamen annos triginta aut quindecim respectiuè elapsos, Sac. Cæs. Majestatis obligatio ac debitum ad manutenendum & euincendum cessabit. Erit autem Sac. Cęsareæ Majestati liberum, alterutrum horum modorum ac temporum eligere.

Quintò, Quod attinet ad præsidiarium militem, qui nunc est in Prouincia ad Anasum, Serenissimus Elector declarauit se eundem exauthoraturum, & cohortaturum, vt ad Sac. Cęsareæ Majestatis signa transeat: Attamen Sua Serenitas Electoralis ratione stipendiorum militi debitorum & sumptuum exauthorationis, nihil vult oneris aut obligationis sustinere.

Postremò, Serenissimus Elector sibi reseruat exigendum, quicquid ex propriâ Cassâ, Statibus Prouinciæ Anasinæ, pro eiusdem Prouinciæ Præsidijs, in præ-

ſenti pecuniâ dedit mutuum, & nondum ipſi eſt reſtitutum, neque in Sac. Cęſareæ Majeſtatis rationes relatum. Quod ſi Sac. Cæſarea Majeſtas, vel dicti Status hoc ipſum non ſoluerent; Sereniſſimo Electori licebit tantundem ex quotâ iam dictâ ſalis ad Sac. Cæſaream Majeſtatem pertinente, in ſolutionem retinere.

In horum omnium fidem Nos ſupra nominati ad hoc permutationis & emptionis negotium à Sac. Cæſareâ Majeſtate, & Serenitate Suâ Electorali Dominis noſtris Auguſtiſſimo & reſpectiuè Clementiſſimo deputati Legatus & Conſiliarij, hunc Receſſum confecimus, & noſtris Syngraphis ac Sigillis muniuimus, ſaluis tamen noſtris Hæredibus & Sigillis. Actum Monachij 22. Martij, Anno 1628.

(L. S.)

*Maximilianus Comes à Trautmanſtorff: tamen cum reſeruatione, vt articulus concernens Inferiorem Palatinatum ad Sac. Cæſareæ Majeſtatis ratificationem & vlteriorem declarationem referatur.*

(L. S.)

*Ioannes Chriſtophorus Baro de Preiſing.*

(L. S.)

*Ioannes Peringer Doctor.*

(L. S.) (L. S.)

*Oſvvaldus Schuß.* *Ioan. Mändl Doctor.*

Quod

(*L. S. Not.*)

Quod ſupradictum apographum de verbo ad verbum concordet cum ſuo Originali, ex Electorali intimo Archiuo mihi communicato, nec non diuerſis ad finem expreſſis & bene notis Syngraphis ac Sigillis, in chartâ, ad modum Libelli, conſcripto & munito, teſtatur hæc meæ manûs ſubſcriptio & adiunctum ſignum Notariatûs. Actum Monachij 4. Julij, Anno 1641.

*Philippus Hartmuth, Sereniſſimi Electoris Bauariæ in Aulico Senatu Secretarius, necnon Sac. Cæſareæ Majeſtatis auctoritate publicus, iuratus & in Spirenſi Camerâ, atque in hoc Aulico Senatu immatriculatus Notarius.*

(*L. S.*)

Lit.

# Lit. C.

# COPIA LITTERARVM EMPTIONIS ET CONCESSIONIS à Cæſare Ferdinando II. pro Palatinatu Superiore & Inferiore cis Rhenum.

NOs Ferdinandus II, DEI Gratia, Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, &c. Profitemur hiſce & notum facimus vniuerſis. Poſtquam proſcriptus à Nobis Fridericus Comes Palatinus, annis præteritis (tempore nimirum abominandæ illius rebellionis, quæ in hæreditario noſtro Bohemiæ Regno exorta fuit) contra Nos, tanquam ſuum Imperatorem & Dominum, cum infidis Rebellibus, iuxta eoſdem, prædictum noſtrum Regnum Bohemiæ, atque adiectas illi prouincias, vſurpando arma publica, exercitúmque inducendo, inuaſit, & ipſo facto eripiendo occupauit; nec non alijs perquam culpabilis, atrocibus, ac Orbi notis facinoribus, delictis, ac hoſtilitatibus in tantum pacifragus exceſſit; vt Nos ratione commiſſi Nobis à Deo Cæſarei officij, eundem tanquam contemptorem, læſorémque Cæſareæ noſtræ Majeſtatis & ſublimitatis, perturbatorem quoque ac perfractorem pacis publicæ, aliorúmque ſalutarium decretorum Imperij, non ſolùm à Nobis & à Sacro Imperio, iterato Banno proſcriptum, omniúm-

omniúmque mulctarum ac pœnarum, talem proscriptionis denunciationem, siue de iure, siue de consuetudine consequentium, reum agnouerimus, declarauerimus, publicauerimúsque; verùm etiam per sumptuosum exercitum ac executionem bellicam (quam Serenissimo & Illustrissimo dilecto nostro, cognato, affini ac Electori Maximiliano, Comiti Palatino Rheni, vtriusque Bauariæ Duci, Sacrique Romani Imperij Archidapifero, commisimus) quas tenebat terras, populósque Superioris Palatinatus in Bauaria, & Inferioris ad Rhenum (vtpote quæ etiam alias propter prędictas eius pacifragas, infidásque actiones atque ob commissum abominandum lęsæ Majestatis crimen, consecutámque indè iteratæ proscriptionis declarationem, in commissum ceciderant, atque sub plenum nostrum & perfectum dominium redierant) in nostram potestatem actualiter redegerimus, & huc vsque tam vi denunciatæ, de qua modò dictum, proscriptionis, quam etiam iure belli possederimus, & per memorati Electoris ac Ducis Bauariæ Dilectionem, tanquam per plenipotentem nostrum Commissarium administrari fecerimus.

**E contrario autem eiusdem Ducis Bauariæ Dilectio, exponendo propriam personam suam, ditionem, subditos, bona & sanguinem, Nobis contra prædictum pacifragum Comitem Palatinum, aliósque Rebelles & Contrariantes, tam præclara, fidelia, multiplicia, & proficua obsequia præstitit, Nobis nostra recuperauit, atque etiam eum in modum Nos, laudabilem Domum nostram, alios Status fideles, & Sacrum Romanum**

F num

num Imperium sibi, cum immortali sui nominis ac honoris fama vehementer obligauit, ac præterea per eximia, quibus Nos adiuuit, auxilia, bellúmque, quod gessit diuturnum, ac sumptuosum, magnas, nobiléſque expensas nostri gratia fecit; Inde Nos Suæ Dilectioni, partim quidem iure ac æquitate sic exigente, partim verò ratione obligationum, promissionum, conditionúmque specialiter, conceptísque verbis factarum, restitutionem & compensationem grato animo facere tenemur & obligamur. Eidémque idcirco Archiducatum nostrum supra Anasum, cum omnibus emolumentis & reditibus, in hypothecam specialem, & pignoris loco tradidimus.

Deinceps etiam deliberatè, maturóque consilio, motu proprio, ac plena Cæsarea potestate, terras, subditósque Superioris Electoralis Palatinatus in Bauaria (quæ prædicto modo in commissum ceciderunt, ac in absolutum dominium dispositionemque nostram, per delictum deuoluta ac vindicata sunt & à Nobis per sententiam pro sic deuolutis ac vindicatis declarata) vnà cum omnibus Inferioris Palatinatus, ad Rheni partem citeriorem, seu Heidelbergensem, terris, populis, præfecturis, vrbibus, arcibus, cum omnibus suis pertinentijs, perpetuâ, constanti, generali, & irrefragabili venditione, præfati nostri cognati, affinis, & Electoris Maximiliani Dilectioni, eiusdémque Hæredibus, ac Successoribus, vendidimus, tradidimus, ac in manus consignauimus. Perinde vt nunc firmissima, quantum siue de iure, siue de consuetudine fieri potest, ratione, modóque huisce exequimur, & Suæ Di-
lectioni

lectioni vendimus, tradimus, & in manus consignamus prçfatum Superiorem Electoralem Palatinatum, sicut & Inferiorem Palatinatum ad Rheni partem citeriorem, seu tractum Heidelbergensem situm, cum eorum terris & subditis populis, omnibúsque & singulis Electorali & Principali dignitatibus, Regalibus, altis Principalibus Superioratibus & Præeminentijs, honoribus, priuilegijs, & eorum legitimis altis & minoribus iudicijs, fluuijs, alueis, telon js, vectigalibus, guidagijs tam nauigalibus quàm terrestribus, altis & inferioribus Ecclesiasticis & Secularibus Feudis, iuribus feudalibus, præfecturis, illegitimorum spolijs, reditibus, aduenarũ præstationibus, regijs subditis, proprietarijs iuribus, aduocatijs, ciuitatibus, munitionibus, castris, pagis, villis, prædijs, hubis, soldis, stagnis, piscinis, glaciarijs, syluis, forestis, ferarum liberis finibus, venationibus, cum omnibus suis iuribus & pertinentijs, hortis, pascuis, terris incultis, paludibus, montibus, mineralibus, thesauris, monetæ cudendæ, & mensurarum ac ponderum potestate, lapicidinis, marginibus, terminorum designationibus, insulis, aquæductibus, molendinis, molis metallicis, vnà cum criminalibus iudicijs, pœnis, mulctis, steuris, collectis, tributis, indictionibus, superindictionibus, itineribus ac vijs, mortis causâ prouentibus ac casibus, iuribus opificiarijs, emolumentis, censibus, arenarijs, seruitutibus, decimis, fructibus, vsibus, quæsturis, lebetarij artificij finitionibus, gratiarum concessionibus, & castrorum apertionibus, quæ à Nobis & Sac. Rom. Imperio iure feudali dependent, cum omnibus eorum pertinentijs, nil vs-

piam inde excipiendo, vel prætereundo, præter Superioris Palatinatus in Bauaria communes Præfecturas Pareksteinam, Waidam, ac Pleiensteinam, quæ nimirum iam antè aliò transtulimus: Exceptis etiam in Inferiori Palatinatu ad Rhenum ijs, quæ per modum alienationis perpetuæ ac irrefragabilis iam de facto totaliter aliâ ratione distraximus, neque in hac venditione inclusa esse volumus.

Hæc autem omnia eâ ratione intelligi volumus, vt sępe memorati Ducis & Electoris Bauariæ Dilectio, eiusdémque Hæredes ac Succeßores, tam pręfatum Principatum Superioris Palatinatus, quàm Inferioris ad Rhenum, quantum Nos eidem de illis prędictâ ratione vendimus ac tradimus, tanquam terras & subditos ad se spectantes, cum omnibus eorum pertinentijs, vt supra memoratum est, & vt proscriptus Palatinus Fridericus, eiusque maiores vsi, fruitique sunt (quamquam eadem nunc propter tolerata bella, expilationes, multiplices grauésque militarium copiarum transitus, earundémque inibi diuturnas stationes, itémque ex annis sterilibus, gabellis, atque alijs, quæ sustinuerunt, incommodis, summè vexata, euersa, indéque neglecta & grauata iacent) in posterum poßidere, vti, frui, vsurpare, ac æquè vt in alijs Feudalibus Principatibus & terris, pro conditione & proprietate earum, solent, secundùm placitum, lubitúmque suum, circa ea disponere, tractare, mutaréque poßint.

Quâ quidem in re neque à Nobis aut nostris in Imperio succeßoribus, vlloue alio, quouis modo, turbari, aut impediri, sed tanquam pro stabili & irreuocabili vendi-

venditione, traditioneque firmiter in possessione relinqui, defendi manuteneri debeant. Veruntamen cum sępè dicti principatus Superioris, Inferiorisque Palatinatus, ad Nos ac sacrum Imperium tanquam Feudum spectent, nec nisi instar feudi dimittantur; idcirco memorati Ducis & Electoris Bauariæ Dilectio, eiusdemque hæredes ac successores, ab itidem olim Serenissimo & Illustrissimo dilecto nostro, cognato, socero & patre Guilielmo V. Comite Palatino, Rheni, vtriusque Bauariæ Duce, laudatissimæ memoriæ, descendentes masculini nominis, ac stirpis, eosdem à Nobis & nostris in Imperio Successoribus pro Feudis masculinis agnoscere atque recipere & super ijs inuestiri teneantur.

Si quo tamen casu, quod omnipotens Deus benignissimè auertere dignetur, memorata Guilielmica Linea masculini nominis & stirpis totaliter deficeret, nullúsque ex eo sanguine descendens superesset, vnde tali ratione superior, Inferiorque Palatinatus vel ad alios illorum Agnatos, ac Feudi Successores Comites Palatinos Rheni deuolueretur, vel defectu capacium Feudi hęredum, ad Nos, nostrosque Successores, sacrumque Rom. Imperium recideret; tum prędicti Agnati & Feudi Successores, vel Nos successoresque nostri, ac Sacrum Rom, Imperium, pro vt prędictarum terrarum, populorumque Superioris, Inferiorisque Palatinatus Rheni ad eos deuolutio fieret, debeant, teneantúrque successoribus Ducatuum Superioris Inferiorisque Bauariæ & sępè memoratæ Guilielmicæ Masculinæ Lineæ, allodialibus & proprietarijs hęredibus, ad quos illi Ducatus (vel ex sępè nominati Bauariæ Electoris & Ducis

Maximiliani Dilectionis, vel hęredum ac Successorum eius Guilielmicæ Lineę, dispositione ac ordinatione, aut defectu talis ordinationis, ab intestato) de iure & ęquitate pertinebunt, plenum integrumque venditionis pretium, nempe tredecim milliones florenorum, ad æstimationem probatę Imperialis monetę Rhenanæ, vna cum claris & probatis meliorationibus, quæ in vtrumque, aut alterutrum Palatinatum impensæ ab ipsis fuerint, itemque eo quod de susceptis iuxta has terras in se debitis soluerint, redhibere, ac restituere. Quia etiam tales proprietarij hęredes Ducis Guilielmi Lineæ, ante actualem, ac plenam numerationem ac solutionem prędictæ summæ pecuniæ, aliorumque debitorum solutionem, possessione principatuum ac terrarum Superioris & Inferioris Palatinatus cedere non teneantur, sed ea Iure Retentionis tamdiu possidere, ijsque vti ac frui legitimè possint, ac valeant, donec illis pro memorato venditionis pretio, factis meliorationibus & impensis sumptibus, plene persolutum ac satisfactum fuerit.

Vicissim autem, & pro vtroque isto Principatu, ac terris, superioris nimirum Palatinatus in Bauaria, ac parte Inferioris Palatinatus Rheni, Nobis sępè memorati Ducis & Electoris Bauariæ Maximiliani dilectio (præter pręstita Nobis, laudatissimę Domui nostræ, Sacro Imperio ac publicę Rei, eximia, præcellentia, proficuaque obsequia, assistentiam, auxilia & beneficia, per quæ has terras, imò plus etiam de Nobis & Sacro Imperio merita est) in pręsenti, paratâque pecuniâ tredecim milliones florenorum, monetæ, valorisque supra memorati,

morati, tanquam verum & conuentum venditionis pretium, numerari & persolui curauit. Quocirca Nos suam dilectionem, hęredésque eius & Successores, propter factam pręsentem solutionem pretij venditionis pro Nobis ac in Domus Nostræ ( nec non ad recuperationem Regni nostri, terrarúmque, nec minus ob executionem & occupationem vtriusque supradicti, à proscripto Comite Palatino Friderico ad Nos reuoluti, Principatus ) commoda perutiliter applicati & actualiter numerati, omninò immunes, atque ab omni eiusmodi debito prorsus liberos absolutósque pronunciamus. Vnde etiam apud Suam Dilectionem, eiúsue hęredes & Successores in perpetuum tempus, nihil quidquam eapropter postulare, prętendere, loqui aut quærere volumus, aut valemus. Sicuti iam pro Nobis, Hęredibus Nostris, ac in Imperio Successoribus, omnibus obiectionibus, libertatibus, concessionibus, exceptionibus, priuilegijs, indultis, dispensationibus, maximè verò exceptioni non numeratæ pecuniæ, aut non in rem versæ, omnibúsq; alijs subsidijs, & cunctationibus, quomodocunque excogitabilibus ( quantumuis hæc talia à Concilijs, Summis Pontificibus, Romanis Imperatoribus ac Regibus per Nos, vel Hęredes, ac Successores nostros, vel per quoscunque alios Nostri gratia obtinerentur, vel motu proprio, ex certâ scientiâ, & de plenitudine potestatis darentur) per hoc totaliter, irrefragabiliter, voluntariè ac liberè, actualitérque renunciamus.

Insuper debemus & volumus pro Sua Dilectione, eiusque Hęredibus ac Successoribus super hac venditione,

tione, & super omnibus, quæ his litteris continentur, contra vniuersos ita euincere, tueri, ac eos omninò indemnes prçstare, sicuti de iure, & vi pecularium litterarum defensionis, protectionis, & euictionis, sub eodem Dato expeditarum, ac prçfati Ducis ac Electoris Dilectioni in manus traditarum (quæ hoc loco penitus, tanquam de verbo ad verbum insertæ essent, repetuntur) facere tenemur ac obligamur. Omnia fide Germanâ, absque fraude & dolo. Atque in huius rei verum testimonium has venditionis ac traditionis litteras propriâ manu subscripsimus, & sub Cçsareo Sigillo nostro expeditas Suæ Dilectioni in manus dari curauimus. Actum in nostrâ Cçsareâ Arce Pragæ, quarto Martij, anno 1628. Regnorum Nostrorum, Romani nono, Hungarici decimo, Bohemici vndecimo.

*Ferdinandus.*

*Antonius Abbas in Cremsmünster.*

Ad Mandatum Electi Domini Imperatoris proprium.

*Iacob Berchtold.*
*Christophorus Baro à Schellerdorff.*
*M. Hillebrandt.*

Quod

(*L. S. Not.*)

Quod præſens copia, traditis mihi, ex Electorali intimo Archiuo, originalibus litteris, (quæ expeditæ ſunt Cęſareæ manus ſubſcriptione, appenſo maiore Sigillo, alijſque manus propriæ ſubſcriptionibus, in pergameno ſcriptæ, illibatæ, & à me diligentiſſimè recognitæ) collata, ac eiſdem de verbo ad verbum correſpondere deprehenſa ſit, teſtatur hæc propria manus meæ ſubſcriptio, præfixum conſuetum Notariatûs ſignum, & appreſſum ſigillum. Actum Monachij, 4. Julij, 1642.


*Philippus Hartmuth, Sereniſſimi Electoris Bauariæ pro Conſilio Aulico Secretarius, nec non auctoritate Cæſareâ publicus & iuratus, atque in Camerâ Spirenſi Imperiali, &c. immatriculatus Notarius.*

(*L. S.*)

G Lit.

# Lit. D.

# CAESAREAE LITTERÆ DEFENSIONIS, PROTEctionis & euictionis Venditi Superioris & Inferioris Palatinatus: Datæ Pragæ 4. Martij Anno 1628.



NOs Ferdinandus II. Dei gratiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, Vngariæ & Bohemiæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Wirtenbergiæ, Superioris & Inferioris Silesiæ, Marchio Morauiæ, Superioris & Inferioris Lusatiæ, Comes Habspurgi, Tirolis & Goricij &c. Fatemur hisce litteris palàm pro nobis nostrisque successoribus ac hęredibus, quod Serenissimò & Illustrissimo Dilecto nostro Cognato affini, & Electori Maximiliano Comiti Palatino Rheni, Superioris & Inferioris Bauariæ Duci, S. R. Imperij Archidapifero, in debitam satisfactionem & exsolutionem magnarum impensarum bellicarum à Sua Dilectione pro nobis ad hostium nostrorum coactam insectationem & hęreditariorum regnorum atq; terrarum nobis iniustâ vi ablatarum recuperationem factarum, quæ subductis rationibus & computo Ratisbonæ Anno millesimo sexcentesimo vigesimo tertio. exhibito & admisso, supra id quod remissum, ad duodecim, atque vnà cum cęnsibus hactenus extantibus, duorum millionũ scilicet, ad quatuordecim vniuersim

ex-

excurrunt florenorum milliones; Ducatum Superioris & Inferioris Palatinatus cum omnibus Præfecturis & pertinentijs cis Rhenum, quem Sua Dilectio antea nostro nomine accepit, vnà cum Arce Stain & omnibus bonis annexis & adhærentijs, veluti nobis & S.R. Imperio apertũ & minimè controuersum proprium feudũ, juxta tenorem Instrumenti emptionis & traditionis sub eodem dato expressè facti ac Cæsareâ manu nostrâ sigillóque confirmati, in vicem redhibiti Archiducatus nostri Superioris Austriæ ad Anasum, hypothecæ nomine pro prędicto debito transscripti vendiderimus atque in solutum tradiderimus. Cum porro in dicto recessu Nos inter & Suam Dilectionem Ratisbonæ eodem anno millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, atque ijs quæ eodem anno insuper mutuis litteris, nec non durante emptionis contractu vltro citróque egimus, pacti simus atque conuenerimus de Instrumentis emptionis, securitatis indemnitatis & euictionis super hoc contractu & traditione Superioris Palatinatus & Pręfecturarum Inferioris, erigendis atque legitimè tradendis, ita ad debitam executionem Imperialis promissionis nostræ atque consensûs Suæ Dilectioni dati: harum vigore ac tenore, nec non Augusta atque Imperatoriâ fide nostrâ pro Nobis, hæredibus & successoribus nostris totâque nostra laudatissimâ Domo Austriacâ Germanicę nationis, promittimus, attestamur nosque obligamus, quod in casu, quo Sua Dilectio aut eius hæredes ac Successores propter sæpius nominatum Palatinatũ Superiorem & Inferiorem cis Rhenum, hostili manu infestarentur vísque armatâ quandocunque, quo-

nies & quocunque modo impeterentur, ſumptibus noſtris abſque onere Suæ Dilectionis eiúſque hæredum ac Succeſſorum, eidem Suæ Dilectioni aſſiſtere, bona tradita manutenere firmiter, tueri atque conſeruare, quin & ſi quas expenſas in eorum defenſionem fecerit, reſtituere velimus ac teneamur Nos, hæredes ac Succeſſores noſtri totáque Inclita Domus Auſtriaca: adhoc conabimur Regem Hiſpaniæ eò inducere, vt ſe, ſuos hæredes & Succeſſores obliget fidémque faciat ſcripto, quod vnà nobiſcum & hæredibus & ſucceſſoribus domóque noſtrâ velit coniunctis viribus Electori Bauariæ eiúſque hæredibus ac ſucceſſoribus in caſu dicto, quo propter ſuperiorem aut inferiorem Palatinatum hoſtiliter inuaderentur, auxiliaribus copijs ſuccurrere: quemadmodum etiam pro nobis & hæredibus noſtris promittimus & conteſtamur, quod, vbi Suæ Serenitati aut eius hæredibus ac ſucceſſoribus ſiue poſt breue ſiue longum temporis interuallum, ducatus ille ſæpè nominatus ſuperioris aut inferioris Palatinatus cis Rhenum ex toto, aut parte, vi aut alio modo (quod tamen futurum non ſperamus) eriperetur, atque ita poſſeſſione exciderent, Nos & hæredes ac Succeſſores noſtri, inexſpectato licet huiuſmodi euentu, iacturam illorum & impendia vti iure debemus, ita fideliter præſtare, atque omnimode indemnes ſeruare, nec non pro venditis terris tredecim florenorum milliones, præter æſtimationem meliorationum in Superiorem & Inferiorem Palatinatum factorum, debitorum diſſolutorum aliorúmue damnorum reſarciendam, reſtituere & exſoluere velimus atque debeamus. Volumus prætc-

rea

rea vt euictio & assecuratio nostra speciatim in prædicto Archiducatu nostro Austriaco ad Anasum (cum reseruatione tamen Suæ Dilectionis eiusque hæredibus & Successoribus, generalis hypothecæ in omnibus nostris ditionibus Austriacis, iuxta tenorem Monacensis transactionis inter Nos & Suam Dilectionem antea scripto factæ) ita fundetur, vt si prædicto casu post breue aut longum temporis spatium, Superior aut Inferior Palatinatus cis Rhenum ex toto aut parte, vi aut alio modo euinceretur, Sua Serenitas, eius hæredes & Successores Iuri possidendi dictam ditionem ad Anasum, non tantum hoc contractu emptionis non interrupto, sed multo magis hisce expresse reseruato, & à nobis concesso, nec non identidem continuando insistant & plenam potestatem habeant plenúmque ius in ditionem hanc, vtpote per constitutum & à nobis acceptatum ius constituti possessorij, ciuiles & naturales possessores facti omni modo, quo Iura communia huiusmodi constitutis possessoribus concedunt, absque vllo nostro nostrorúmue impedimento, regrediendi; atque ita eisdem operam nostram obligatam esse censebimus, vt ius id eo prorsus modo, quo expediti recessus Monachij Anno millesimo sexcentesimo decimo nono, & pòst Viennæ anno vigesimo primo, aliáque in hunc finem acta exhibent, manutenere, eóque vti, frui, liceat, nec prius abscedere cogantur, quam expressi supra tredecim milliones, & ad plenam restitutionem in futurũ omnium à tempore amissæ possessionis venditi Superioris & Inferioris Palatinatus, pensionum præstandarum, damnorum, & aliarum æstimationum legitimè

petendarum acceperint & satisfactionem sufficientem consecuti sint. Ad maiorem insuper Suæ Dilectionis eiusque hæredum & successorum securitatem eò permouimus dilectum fratrem nostrum Leopoldum Archiducem, vt Suæ Dilectioni Electori Bauariæ specialem consensum litteris consignatũ cum inserta expressa promissione, quod nec ipse nec posteri eius in omnibus enumeratis, impedimento esse velint iure aut non iure, sed potius acta tueri, iam effectiuè tradiderit. Posteaquam etiam à Nobis tam status & subditi, quam Officiales supremi, medij infimíque Archiducatûs huius Austriæ ad Anasum iam antehac Suæ Dilectioni tanquam hypothecario Domino fidelitatis iuramento addicti fuerunt, eámque pro tali legitimè agnouerunt, ita nunc prædictos Status, subditos & Officiales cum iuramento fidelitatis in hac ditionis cessione ad Suam Dilectionem dicti Constituti vigore legitimum manentem hypothecariũ peculiaribus Cæsareis Instrumentis cessionis, & assignationis effectiue demandabimus, cum expresso mandato, vt si post breuem aut longum temporis cursum, & quotiescunque status & subditi huius regionis ad Anasum à Nobis aut hęredibus aç Successoribus nostris ad plenum hæreditarium fidelitatis iuramentum, similiter etiam subsequentes Officiales ad suũ peculiare iuramentum admissi fuerint, iuramento illo respectiue hæreditario perinde Suæ Dilectioni eiusque hęredibus ac successoribus tanquam hypothecarijs, quantum ad continuandam possessionem ab eis obtentam & reseruatam, & possessorium constitutum necesse

fuerit,

**fuerit, optimâ iuris forma addicantur & iuramentum** hoc hęreditarium citra ipsorum præiudicium præstetur; quod Nos etiam Statibus, subditis & Officialibus tam hoc cessionis actu, quam in futuris casibus suscipiendi plenarij iuramenti fidelitatis in forma & tenore, quo singulis vicibus Nobis consultum visum fuerit, sufficienti omnibus intimatione clementissimè notificabimus. Siquidem memorati Status & subditi territorij ad Anasum à nostris dilectis antecessoribus & à Nobis specialia priuilegia habuerunt, vt ne aut Nobis, aut alijs de Domo Austriacâ velut legitimis dominis hæreditarijs ditionem illam oppignerare liceret: quare ad præueniendas quascunque de futuro lites & impedimenta, quæ status & subditi Suæ Dilectioni eiusque hæredibus ac successoribus, si quando constitutâ possessione & vsufructu hypothecæ huius, vti, frui vellent & deberent, sub prætextu illorum priuilegiorum mouere ac causari possint, volumus illa Statibus aut omnino non amplius, aut certe sub hac tantumodo conditione confirmare & limitare, vt expresse illis renuncient, datis reuersalibus, neque eorum hæredibus & Successoribus circa iam dictam hypothecam frui hisce liceat.

**Et quamuis speremus ac putemus, si iuxta placitum Electorum eorúmque Legatorum non ita pridem Mülhusio Nobis transmissum, res agitanda esset in Electorum conuentu, aut etiam Imperialibus Comitijs, & proscriptus Comes Palatinus Fridericus ipsemet Superiori Palatinatui & quidquid ex Inferiore Dilectioni**

**Electoris**

Electoris Bauariæ tradimus, renunciaturus esset, aut, vbi ad Suę Dilectionis placitum fuerit, Nos Imperialem nostram sententiā in causâ alienati vtriusque Palatinatûs Electoribus denunciaturi essemus; Suáque Dilectio subsequente Electorum omnium aut maioris eorum partis approbatione, totius Romani Imperij defensionem, assistentiam ac manutentionem impetratura esset, itáque hæc Nobis & Suæ Dilectioni, cęterisque Electoribus ac Statibus Imperij causa communis futura esset, non fore, vt res egeat nostrâ particulari assistentiâ & euictione; tamen quia futuri casus incerti sunt, & Nos Dilectioni Suæ quàm optimè cautum malumus; volumus vt etiam pręter illam à Comite Palatino Friderico faciendam renunciationem atque Electorum approbationem ac à Statibus Imperij suscipiendam communem defensionem & assistentiam, nihilominus in annos quindecim Nos, nostri Hæredes & Successores ad promissam illam particularem defensionem debitámque cautionem formâ & modo, quibus hactenus conuentum, obligati simus. Vbi verò Friderici renunciatio, Electorum approbatio, & Statuum de communi assistentiâ promissio non subsecutura esset, erimus Nos cum Hæredibus nostris ad triginta annos à die horum Instrumentorum erectorum ad defensionem illam & assecurationem obligati. In horum omnium fidem & securitatem damus sæpe memorato Electori & Duci Bauariæ has cessionis, defensionis, euictionis atque indemnitatis litteras Imperiali Sigillo nostro affixo, propriáque manu confirmatas. Actum in Regiâ Arce

nostrâ

nostrâ Pragæ, 4. Martij anno millesimo sexcentesimo vicesimo octauo, Imperij nostri Romani nono, Vngarici & Bohemici vndecimo, &c.

Subscriptum

*Ferdinandus.*

*Antonius Abbas in Cremsmünster.*

Ad Mandatum Electi Domini Imperatoris proprium.

*Iacob Berchtold.*

*Christophorus Baro à Schellerdorff.*

*M. Hillebrandt.*

*I. B. Hellhardt.*

(L. S. Not.)

Quod copia hæc, seu transsumptum ad verbum conspiret cum autographo ex Electorali Archiuo interiore deprompto, subscripto propriâ Imperatoris manu, & maiori Sigillo munito, aliorúmque syngraphâ firmato, in pergameno expedito, inuiolato, ac à me summâ diligentiâ collato, testatur hæc manus mea, & consuetum Notariatûs Sigillum. Monachij 4. Julij, 1641.

*Philippus Hartmuth, Serenissimi Electoris Bauariæ, &c. Concilij Aulici Secretarius, & Cæs. Majestatis authoritate publicus, juratus, & in Camera Spirensi nec non in hoc Senatu Aulico immatriculatus Notarius.*

(L. S.)

H Lit.

# Lit. E.

## LITTERAE CONSENSVS SERENISSIMI ARCHIDUCIS LEOPOLDI, datæ 13. Martij, anno 1628.

NOs Leopoldus Dei gratiâ, Archidux Austriç, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtenbergæ, Dux Sueuiæ, & Marchio Sacri Romani Imperij, Burgouiæ; Dux & Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferreti, Kiburgi atque Goriciæ; Landgrauius Alsatiæ, Dominus Marchæ Sclauonicæ, Portus Naonis & Salinarum, &c. Profitemur pro Nobis & Posteris nostris, publicè coram omnibus, per litteras hasce præsentes; quandoquidem Romanorum Imperator, idémque Hungariæ atque Bohemiæ Rex, noster clementissimus atque charissimus Frater & Dominus, Serenissimo Principi ac Domino Maximiliano, Comiti Palatino Rheni, vtriusque Bauariæ Duci, & Sacri Romani Imperij Archidapifero ac Electori, nostro amantissimo Cognato, Affini & Fratri, in persolutionem sumptuum bellicorum pro Suâ Cęsareâ Majestate factorum; Palatinatûs Superioris Principatum, ex proscripti Friderici Palatini ditionibus, Cæsareo fisco addictum, vnà cum Inferioris Palatinatûs Præfecturis aliquot certis, quæ cis Rhenum sunt sitæ, per emptionem legitimam tradidit; & super illo contractu solennes emptionis expeditæ sunt litteræ, cum euictionis

Cæsareæ promissione datæ 4. huius in hanc formam. Nos Ferdinandus Secundus, &c. Pragæ in nostrâ Arce, 4. Martij, Anno 1628. Imperij nostri Romani nono, Vngarici decimo, & Bohemici vndecimo. Nos quoque, vtpotè quos idem Augustissimus Imperator, & clementissimus Frater noster ac Dominus, benignissimè atque fraternè ad hoc ipsum præstandum, voluntate suâ permouit; non modò omnia & singula, à Suâ Cęs. Majestate, charissimo nobis Domino Electori Bauariæ, eiusque posteris, hâc in parte promissa & addicta, pariter & eâdem formâ agnoscere: verùm etiam nostro ac posterorum nostrorum nomine omnia illa, eodem prorsus tenore addicere atque promittere, etiámque firmiter Nos obligare: quòd Nos ac Posteri nostri, in omnibus ad Cęsareas hasce litteras pertinentibus, nihil impedimenti afferemus aut præiudicij, seu iure, seu iniuriâ; quin potiùs auxilium pręstare conabimur, atque in prædictorum fidem & assecurationem huius consensûs & obligationis litteras manu propriâ subscripsimus, nostróque Archiducali Sigillo muniuimus. Datum Oeniponti 13. Martij, Anno 1628.

*Leopoldus.*

# Lit. F.

# ELENCHVS PRINCIPVM ET STATVVM ROM. IMP.

qui poſt obitum Georgij Bauariæ Ducis Anno 1504. Domui Bauaricæ breuem bello tulerunt opem, & quàm retulerint nauatæ operæ compenſationem.

*Domus Auſtriaca id temporis accepit*

1. Arcem & oppidum Ratenbergenſe ad Oenum, & Zillerianam Vallem, in qua ſunt auri & ferri fodinæ,
2. Arcem & Oppidum Kueffſtainium, vnà cum Caſtro Tierbergenſi, & Syluis ac Lignis, quæ ad opera metallica Comitatui Tirolenſi vſui ſunt.
3. Comitatum & Arcem Neoburgum ad Oenum ſupra Paſſauium.
4. Arcem Rumaridel ad Danubium.
5. Comitatum Kirchbergenſem.
6. Oppidum Weiſſenhornium cum ditione & Baronia.
7. Obenhuſium, ab Vlmenſibus proueniens.
8. Maurſtettium & Puechium.
9. Pfaffenhouium prope Vlmam.
10. Arcem Schmihiam ad Lycum.
11. Syluam Werdenſem & Weiſſenburgenſem.

12. Werderaugiam ad Marchionatum Burgouiensem.
13. Ius quod ad Ellenbachium Dux Georgius habuit.
14. Aduocatiam Archiepiscopatus Salisburgensis & Episcopatus Passauiensis.
15. Aduocatiam Königsbrunnæ prope Giengam.
16. Omnem Principalem iurisdictionem, cum supremo iure venationis in Marchionatu Burgouiensi intra Danubium, & Lycum & Wertachium.
17. Iudeos & pignus quod Dux Georgius Ratisbonæ habuit.
18. Altum ius venationis in Spitz in Austriá, cum omni Principali iurisdictione.
19. Dominium, Oppidum & Arcem Kizbuhelensem, atque egregiam isthic rem metallicam & fodinas argenti & nobilium metallorum.
20. Aduocatiam Manseensem, vnà cum Monasterio.
21. Castrum Wildeneck.
22. Frumenti annonam ex penuario Ducis Georgij decem florenorum millibus æstimatam.
23. Centum millia florenorum ex collectâ, quæ Duci Georgio adhuc in viuis agenti addicta, sed post eius obitum primum soluta.
24. Omnia nomina, & quicquid æris alieni Maximilianus I. Duci Georgio debuit.
25. Item vt telonium & ius mensurandi Ratenburgense aliò non transferretur.

Dux

*Dux VVirtenbergiæ Vlricus tunc temporis accepit*

Hellenstainiam Arcem, & totam ditionem ac oppidum Haidenhaimense, & Præfecturam in Preuztal, cum adhærentibus Monasterijs.

*Comes Eitelfridericus à Zollern, Cæs. Maximiliani Aulæ Præfectus accepit*

Arcem Balderinam cum dominio annexo.

*Ioannes Langenmantel Augustanus Fæderis Sueuici Capitaneus.*

Arcem & Dominium Wolffsbergense & Izlingam supra Landtspergam.

Omittuntur cæteræ compensationes in priuatas alias personas ob præstitum auxilium collatæ.

Lit.

# Lit. G.

## PROTESTATIO

*Nomine Serenissimi Bauariæ Electoris*

## Ad Dominos Mediatores in causâ Palatinâ, 9. Julij, Anno 1642.

DANIAE ET NORWEGIÆ REGIÆ MAIESTATIS, item Reuerendissimorum & Serenissimorum Principum Electorum Moguntini, Coloniensis, Saxonis & Brandenburgici, Præclarissimi, Perillustres, Prænobiles, Strenui, Doctissimi, nec non Beneuolentissimi & honoratissimi Legati.

Iam ante notum est vobis; ad quemnam exitum spectent Palatini isti tractatus, in Comitijs primò Ratisbonensibus cœpti, tum huc deinde Viennam translati; atque à mense Nouembri anni quadragesimi primi proximè lapsi, excellentibus studijs vestris, assiduisque laboribus in nonum denique mensem continuati. Nimirum Angliæ Regis ad istam pacificationem peculiares Legati, Dominus Rovve, & cæteri, vnà cum Commissarijs Palatinis, mentem suam erga beneuolentissimas & honoratissimas Domina-

minationes vestras ita declarârunt, vt dicerent: ob expressa Dominorum suorum mandata, discedendum iam sibi, quanquam nondum sint hæ tractationes finitæ: quas ipsas non quidem irritas, sed ad opportunitatem aliam reseruatas peroptent. Cuiusmodi certè interruptio, tolerari debet à nobis, vt potest. Quandoquidem verò hâc de re Serenissimus Elector noster humillimè à nobis factus certior, clementissimè nobis dedit in mandatis, vt Laudatissimis Dominis Mediatoribus ante eorum discessum, præter gratiarum actionem debitam, ob tanti temporis moras cum ingenti patientiâ & labore consumptas, præcipuè verò quod Clementissimi Legatorum Domini Principales, salutis publicæ amore, cum non exiguis sumptibus, tractationi huic immorari voluerint, hanc insinuationem & declarationem scripto ad rei memoriam traderemus: cui iam mandato, obedientissimis animis obtemperare studemus. Nempe beneuolentissimas & honoratissimas Dominationes Vestras, etiámnum meminisse speramus; quemadmodum ante triennium, ad instantiam eorum, qui ius ad Palatinatum prætendunt, interuenientibus Hispaniæ & Angliæ Regibus, res tota in eum locum fuerit adducta: vt ad prætensiones Palatinorum moderandas Bruxellis indiceretur Conuentus, in quo partium studia ad amicam dissidiorum compositionem conciliarentur. Quamuis autem Serenissimus Elector & Dominus noster Clementissimus, in Cæsareæ Majestatis Augustissimæ memoriæ Ferdinandi II. decretis (quibus iustissimè Serenitas Sua Dignitatem Electoralem accepit, & ditiones Palatinas iure emptionis sibi

comparauit; in quarum etiam possessione continuâ hactenus perstitit, ac etiámnum persistit) conquiescere meritò poterat atque debebat; cùm præsertim partium aduersarum prætensiones tantò magis corruerent, quòd hæc ipsa Augustissimæ memoriæ Ferdinandi II. decreta, per Gloriosissimum eiusdem Successorem Ferdinandum III. sint confirmata de nouo; & iam antè in Conuentu Mülhusino, anni millesimi sexcentesimi vigesimi septimi; præcipuè autem in pacificatione Pragensi, anni millesimi sexcentesimi trigesimi quinti, ab omnibus in illâ comprehensis Electoribus, Principibus & Statibus Sacri Romani Imperij acceptata, & pro ratis habita fuerint: postpositis tamen omnibus istis, Clementissimus Dominus noster, vt animum suum demonstraret amantissimum pacis; atque pro viribus, vniuersalem Imperij Romani quietem promouendam curaret; libenter colloquio huic conuentuique, Bruxellis instituendo consensit. At vbi omnis generis impedimenta, citra vllam Domini nostri Clementissimi culpam, Bruxellensem prohibuêre conuentum; etiámque Potentissimus Daniæ Rex, iuxta Serenissimos Sacri Romani Imperij Electores, Clementissimos Dominos nostros, se quoque in dissensione hâc partium interponere, atque omni ope tantam tempestatem consopire velle pollicitus esset: ne huic quidem compositioni tentandæ, Serenissimus Elector Bauariæ repugnare sustinuit; sed per Commissarios suos ad id negotij deputatos, tam Ratisbonæ, quàm hîc quoque Viennæ, iam integro propemodum anno, ingentibus impensis persistere iussit, hâc vnicâ nimirum de causâ: vt

Sere-

Serenitati Suæ illud imputari non posset, tanquam Imperij Romani felicitatem negligeret, potiúsque bonum priuatum quàm publicum quæreret. Et certè non Protocolla modò super istis erecta, verùm & ipsi Excellentissimi Domini Mediatores, testari possunt abundè; iam inde à primis vsque tractatuum istorum initijs, quàm nihil penitus fuerit in Clementissimo Domino nostro propensionis desideratum; sed potiùs Serenitas Sua, talem se præbuerit semper, ac gesserit; vt hoc suum benignè res accommodandi studium, quò Pax illa publica tam sibi desiderata rediret, perquàm cumulatè monstrârit. Siquidem Serenitas Sua non modò prima glaciem fregit (quemadmodum idipsum Dominus Legatus Angliæ Regis in memoriali ac declaratione suâ contestatur ac laudat) dum definito quopiam modo & conditionibus certis, ac cum istâ præsertim reseruatione expressâ, si plenissimè omni ex parte terminata controuersia fuerit; Palatinatum Inferiorem, quantâ quidem ex parte ad Serenitatis Suæ dominium pertinet, Cęsareæ Majestatis arbitrio disponendum se tradituram promisit: verùm etiam de Palatinatu Superiore, in eam quoque resolutionem descendit; vt tametsi Serenitas Sua minimè cogitet, nec verò titulo iuris teneatur vel vllo, ditiones suas ac subditos permutare pecuniâ; tamen vnius boni publici causâ, hunc quoque Palatinatum Superiorem, similiter Majestatis Cęsareæ manibus committere velit: dum ex vi modò litterarum (quas Suæ Majestatis, Augustissimæ memoriæ Dominus Parens, auctoritate & fide tam sacrosanctâ, Cęsareóque insuper Sigillo munitas dedit) integrè resti-

ties & quocunque modo impeterentur, ſumptibus noſtris abſque onere Suæ Dilectionis eiúſque hæredum ac Succeſſorum, eidem Suæ Dilectioni aſſiſtere, bona audita manutenere firmiter, tueri atque conſeruare, quin & ſi quas expenſas in eorum defenſionem fecerit, reſtituere velimus ac teneamur Nos, hæredes ac Succeſſores noſtri totáque Inclita Domus Auſtriaca: adhoc conabimur Regem Hiſpaniæ eò inducere, vt ſe, ſuos hæredes & Succeſſores obliget fidémque faciat ſcripto, quod vnà nobiſcum & hæredibus & ſucceſſoribus domóque noſtrâ velit coniunctis viribus Electori Bauariæ eiúſque hæredibus ac ſucceſſoribus in caſu dicto, quo propter ſuperiorem aut inferiorem Palatinatum hoſtiliter inuaderentur, auxiliaribus copijs ſuccurrere: quemadmodum etiam pro nobis & hæredibus noſtris promittimus & conteſtamur, quod, vbi Suæ Serenitati aut eius hæredibus ac ſucceſſoribus ſiue poſt breue ſiue longum temporis interuallum, ducatus ille ſæpè nominatus ſuperioris aut inferioris Palatinatus cis Rhenum ex toto, aut parte, vi aut alio modo (quod tamen futurum non ſperamus) eriperetur, atque ita poſſeſſione exciderent, Nos & hæredes ac Succeſſores noſtri, inexſpectato licet huiuſmodi euentu, iacturam illorum & impendia vti iure debemus, ita fideliter præſtare, atque omnimode indemnes ſeruare, nec non pro venditis terris tredecim florenorum milliones, præter æſtimationem meliorationum in Superiorem & Inferiorem Palatinatum factorum, debitorum diſſolutorum aliorúmue damnorum reſarciendam, reſtituere & exſoluere velimus atque debeamus. Volumus præterea

rea vt euictio & assecuratio nostra speciatim in prædicto Archiducatu nostro Austriaco ad Anasum (cum reseruatione tamen Suæ Dilectionis eiusque hæredibus & Successoribus, generalis hypothecæ in omnibus nostris ditionibus Austriacis, iuxta tenorem Monacensis transactionis inter Nos & Suam Dilectionem antea prescripto factæ) ita fundetur, vt si prædicto casu post breue aut longum temporis spatium, Superior aut Inferior Palatinatus cis Rhenum ex toto aut parte, vi aut alio modo euinceretur, Sua Serenitas, eius hæredes & Successores Iuri possidendi dictam ditionem ad Anasum, non tantum hoc contractu emptionis non interrupto, sed multo magis hisce expresse reseruato, & à nobis concesso, nec non identidem continuando insistant & plenam potestatem habeant plenúmque ius in ditionem hanc, vtpote per constitutum & à nobis acceptatum ius constituti possessorij, ciuiles & naturales possessores facti omni modo, quo Iura communia huiusmodi constitutis possessoribus concedunt, absque vllo nostro nostrorúmue impedimento, regrediendi; atque ita eisdem operam nostram obligatam esse censebimus, vt ius id eo prorsus modo, quo expediti recessus Monachij Anno millesimo sexcentesimo decimo nono, & pòst Viennæ anno vigesimo primo, aliáque in hunc finem acta exhibent, manutenere, eóque vti, frui, liceat, nec prius abscedere cogantur, quam expressi supra tredecim milliones, & ad plenam restitutionem in futurū omnium à tempore amissæ possessionis venditi Superioris & Inferioris Palatinatus, pensionum præstandarum, damnorum, & aliarum æstimationum legitimè

petendarum acceperint & satisfactionem sufficientem consecuti sint. Ad maiorem insuper Suæ Dilectionis eiusque hæredum & successorum securitatem eò permouimus dilectum fratrem nostrum Leopoldum Archiducem, vt Suæ Dilectioni Electori Bauariæ specialem consensum litteris consignatũ cum inserta expressa promissione, quod nec ipse nec posteri eius in omnibus enumeratis, impedimento esse velint iure aut non iure, sed potius acta tueri, iam effectiuè tradiderit. Posteaquam etiam à Nobis tam status & subditi, quam Officiales supremi, medij infimíque Archiducatûs huius Austriæ ad Anasum iam antehac Suæ Dilectioni tanquam hypothecario Domino fidelitatis iuramento addicti fuerunt, eámque pro tali legitimè agnouerunt, ita nunc prædictos Status, subditos & Officiales cum iuramento fidelitatis in hac ditionis cessione ad Suam Dilectionem dicti Constituti vigore legitimum manentem hypothecariũ peculiaribus Cæsareis Instrumentis cessionis,& assignationis effectiue demandabimus, cum expresso mandato, vt si post breuem aut longum temporis cursum, & quotiescunque status & subditi huius regionis ad Anasum à Nobis aut hęredibus ac Successoribus nostris ad plenum hæreditarium fidelitatis iuramentum, similiter etiam subsequentes Officiales ad suũ peculiare iuramentum admissi fuerint, iuramento illo respectiue hæreditario perinde Suæ Dilectioni eiusque hęredibus ac successoribus tanquam hypothecarijs, quantum ad continuandam possessionem ab eis obtentam & reseruatam, & possessorium constitutum necesse

fuerit,

fuerit, optimâ iuris forma addicantur & iuramentum hoc hęreditarium citra ipsorum præiudicium præstetur; quod Nos etiam Statibus, subditis & Officialibus tam hoc cessionis actu, quam in futuris casibus suscipiendi plenarij iuramenti fidelitatis in forma & tenore, quo singulis vicibus Nobis consultum visum fuerit, sufficienti omnibus intimatione clementissimè notificabimus. Siquidem memorati Status & subditi territorij ad Anasum à nostris dilectis antecessoribus & à Nobis specialia priuilegia habuerunt, vt ne aut Nobis, aut alijs de Domo Austriacâ velut legitimis dominis hæreditarijs ditionem illam oppignerare liceret: quare ad præueniendas quascunque de futuro lites & impedimenta, quæ status & subditi Suæ Dilectioni eiusque hæredibus ac successoribus, si quando constitutâ possessione & vsufructu hypothecæ huius, vti, frui vellent & deberent, sub prætextu illorum priuilegiorum mouere ac causari possint, volumus illa Statibus aut omnino non amplius, aut certe sub hac tantumodo conditione confirmare & limitare, vt expresse illis renuncient, datis reuersalibus, neque eorum hæredibus & Successoribus circa iam dictam hypothecam frui hisce liceat.

Et quamuis speremus ac putemus, si iuxta placitum Electorum eorúmque Legatorum non ita pridem Mülhusio Nobis transmissum, res agitanda esset in Electorum conuentu, aut etiam Imperialibus Comitijs, & proscriptus Comes Palatinus Fridericus ipsemet Superiori Palatinatui & quidquid ex Inferiore Dilectioni

Electoris

Electoris Bauariæ tradimus, renunciaturus esset, aut, vbi ad Suę Dilectionis placitum fuerit, Nos Imperialem nostram sententiã in causâ alienati vtriusque Palatinatûs Electoribus denunciaturi essemus; Suáque Dilectio subsequente Electorum omnium aut maioris eorum partis approbatione, totius Romani Imperij defensionem, assistentiam ac manutentionem impetratura esset, itáque hæc Nobis & Suæ Dilectioni, cęterisque Electoribus ac Statibus Imperij causa communis futura esset, non fore, vt res egeat nostrâ particulari assistentiâ & euictione; tamen quia futuri casus incerti sunt, & Nos Dilectioni Suæ quàm optimè cautum malumus; volumus vt etiam pręter illam à Comite Palatino Friderico faciendam renunciationem atque Electorum approbationem ac à Statibus Imperij suscipiendam communem defensionem & assistentiam, nihilominus in annos quindecim Nos, nostri Hæredes & Successores ad promissam illam particularem defensionem debitámque cautionem formâ & modo, quibus hactenus conuentum, obligati simus. Vbi verò Friderici renunciatio, Electorum approbatio, & Statuum de communi assistentiâ promissio non subsecutura esset, erimus Nos cum Hæredibus nostris ad triginta annos à die horum Instrumentorum erectorum ad defensionem illam & assecurationem obligati. In horum omnium fidem & securitatem damus sæpe memorato Electori & Duci Bauariæ has cessionis, defensionis, euictionis atque indemnitatis litteras Imperiali Sigillo nostro affixo, propriâque manu confirmatas. Actum in Regiâ Arce

nostrâ

noſtrâ Pragæ, 4. Martij anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo octauo, Imperij noſtri Romani nono, Vngarici & Bohemici vndecimo, &c.

Subſcriptum

*Ferdinandus.*

*Antonius Abbas in Cremſmünſter.*

Ad Mandatum Electi Domini Imperatoris proprium.

*Iacob Berchtold.*

*Chriſtophorus Baro à Schellerdorff.*

*M. Hillebrandt.*

*I. B. Hellhardt.*

(*L. S. Not.*)

Quod copia hæc, ſeu transſumptum ad verbum conſpiret cum autographo ex Electorali Archiuo interiore deprompto, ſubſcripto propriâ Imperatoris manu, & maiori Sigillo munito, aliorúmque ſyngraphâ firmato, in pergameno expedito, inuiolato, ac à me ſummâ diligentiâ collato, teſtatur hæc manus mea, & conſuetum Notariatûs Sigillum. Monachij 4. Julij, 1641.

*Philippus Hartmuth, Sereniſsimi Electoris Bauariæ, &c. Concilij Aulici Secretarius, & Cæſ. Majeſtatis authoritate publicus, juratus, & in Camera Spirenſi nec non in hoc Senatu Aulico immatriculatus Notarius.*

(*L. S.*)



Lit.

# Lit. E.

# LITTERAE CONSENSVS SERENISSIMI ARCHIducis Leopoldi, datæ 13. Martij, anno 1628.

NOs Leopoldus Dei gratiâ, Archidux Austriç, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtenbergæ, Dux Sueuiæ, & Marchio Sacri Romani Imperij, Burgouiæ; Dux & Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferreti, Kiburgi atque Goriciæ; Landtgrauius Alsatiæ, Dominus Marchæ Sclauonicæ, Portus Naonis & Salinarum, &c. Profitemur pro Nobis & Posteris nostris, publicè coram omnibus, per litteras hasce præsentes; quandoquidem Romanorum Imperator, idémque Hungariæ atque Bohemiæ Rex, noster clementissimus atque charissimus Frater & Dominus, Serenissimo Principi ac Domino Maximiliano, Comiti Palatino Rheni, vtriusque Bauariæ Duci, & Sacri Romani Imperij Archidapifero ac Electori, nostro amantissimo Cognato, Affini & Fratri, in persolutionem sumptuum bellicorum pro Suâ Cęsareâ Majestate factorum; Palatinatûs Superioris Principatum, ex proscripti Friderici Palatini ditionibus, Cæsareo fisco addictum, vnà cum Inferioris Palatinatûs Præfecturis aliquot certis, quæ cis Rhenum sunt sitæ, per emptionem legitimam tradidit; & super illo contractu solennes emptionis expeditæ sunt litteræ, cum euictionis

Cæsareæ promissione datæ 4. huius in hanc formam. Nos Ferdinandus Secundus, &c. Pragæ in nostrâ Arce, 4. Martij, Anno 1628. Imperij nostri Romani nono, Vngarici decimo, & Bohemici vndecimo. Nos quoque, vtpotè quos idem Augustissimus Imperator, & clementissimus Frater noster ac Dominus, benignissimè atque fraternè ad hoc ipsum præstandum, voluntate suâ permouit; non modò omnia & singula, à Suâ Cęs. Majestate, charissimo nobis Domino Electori Bauariæ, eiusque posteris, hâc in parte promissa & addicta, pariter & eâdem formâ agnoscere: verùm etiam nostro ac posterorum nostrorum nomine omnia illa, eodem prorsus tenore addicere atque promittere, etiámque firmiter Nos obligare: quòd Nos ac Posteri nostri, in omnibus ad Cęsareas hasce litteras pertinentibus, nihil impedimenti afferemus aut præiudicij, seu iure, seu iniuriâ; quin potiùs auxilium pręstare conabimur, atque in prædictorum fidem & assecurationem huius consensus & obligationis litteras manu propriâ subscripsimus, nostróque Archiducali Sigillo muniuimus. Datum Oeniponti 13. Martij, Anno 1628.

*Leopoldus.*

Lit.

# Lit. F.

# ELENCHVS PRINCIPVM ET STATVVM ROM. IMP.

qui post obitum Georgij Bauariæ Ducis Anno 1504. Domui Bauaricæ breuem bello tulerunt opem, & quàm retulerint nauatæ operæ compensationem.

*Domus Austriaca id temporis accepit*

1. Arcem & oppidum Ratenbergense ad Oenum, & Zillerianam Vallem, in qua sunt auri & ferri fodinæ,
2. Arcem & Oppidum Kuefffstainium, vnà cum Castro Tierbergensi, & Syluis ac Lignis, quæ ad opera metallica Comitatui Tirolensi vsui sunt.
3. Comitatum & Arcem Neoburgum ad Oenum supra Passauium.
4. Arcem Rumaridel ad Danubium.
5. Comitatum Kirchbergensem.
6. Oppidum Weissenhornium cum ditione & Baronia.
7. Obenhusium, ab Vlmensibus prouenieus.
8. Maurstettium & Puechium.
9. Pfaffenhouium prope Vlmam.
10. Arcem Schmihiam ad Lycum.
11. Syluam Werdensem & Weissenburgensem.

12. Werderaugiam ad Marchionatum Burgouiensem.
13. Ius quod ad Ellenbachium Dux Georgius habuit.
14. Aduocatiam Archiepiscopatus Salisburgensis & Episcopatus Passauiensis.
15. Aduocatiam Königsbrunnæ prope Giengam.
16. Omnem Principalem iurisdictionem, cum supremo iure venationis in Marchionatu Burgouiensi intra Danubium, & Lycum & Wertachium.
17. Iudeos & pignus quod Dux Georgius Ratisbonæ habuit.
18. Altum ius venationis in Spitz in Austriá, cum omni Principali iurisdictione.
19. Dominium, Oppidum & Arcem Kizbuhelensem, atque egregiam isthic rem metallicam & fodinas argenti & nobilium metallorum.
20. Aduocatiam Manseensem, vnà cum Monasterio.
21. Castrum Wildeneck.
22. Frumenti annonam ex penuario Ducis Georgij decem florenorum millibus æstimatam.
23. Centum millia florenorum ex collectâ, quæ Duci Georgio adhuc in viuis agenti addicta, sed post eius obitum primum soluta.
24. Omnia nomina, & quicquid æris alieni Maximilianus I. Duci Georgio debuit.
25. Item vt telonium & ius mensurandi Ratenburgense aliò non transferretur.

Dux

*Dux VVirtenbergiæ Vlricus tunc temporis accepit*

Hellenstainiam Arcem, & totam ditionem ac oppidum Haidenhaimense, & Præfecturam in Preuztal, cum adhærentibus Monasterijs.

*Comes Eitelfridericus à Zollern, Cæs. Maximiliani Aulæ Præfectus accepit*

Arcem Balderinam cum dominio annexo.

*Ioannes Langenmantel Augustanus Fæderis Suevici Capitaneus.*

Arcem & Dominium Wolffsbergense & Izlingam supra Landtspergam.

Omittuntur cæteræ compensationes in priuatas alias personas ob præstitum auxilium collatæ.

Lit.

# Lit. G.

## PROTESTATIO

*Nomine Serenissimi Bauariæ Electoris*

## Ad Dominos Mediatores in causâ Palatinâ, 9. Julij, Anno 1642.

DANIAE ET NORWEGIÆ REGIÆ MAIESTATIS, item Reuerendissimorum & Serenissimorum Principum Electorum Moguntini, Coloniensis, Saxonis & Brandenburgici, Præclarissimi, Perillustres, Prænobiles, Strenui, Doctissimi, nec non Beneuolentissimi & honoratissimi Legati.

Iam ante notum est vobis; ad quemnam exitum spectent Palatini isti tractatus, in Comitijs primò Ratisbonensibus cœpti, tum huc deinde Viennam translati; atque à mense Nouembri anni quadragesimi primi proximè lapsi, excellentibus studijs vestris, assiduisque laboribus in nonum denique mensem continuati. Nimirum Angliæ Regis ad istam pacificationem peculiares Legati, Dominus Rovve, & cæteri, vnà cum Commissarijs Palatinis, mentem suam erga beneuolentissimas & honoratissimas Domina-


minationes vestras ita declarârunt, vt dicerent: ob expressa Dominorum suorum mandata, discedendum iam sibi, quanquam nondum sint hæ tractationes finitæ: quas ipsas non quidem irritas, sed ad opportunitatem aliam reseruatas peroptent. Cuiusmodi certè interruptio, tolerari debet à nobis, vt potest. Quandoquidem verò hâc de re Serenissimus Elector noster humillimè à nobis factus certior, clementissimè nobis dedit in mandatis, vt Laudatissimis Dominis Mediatoribus ante eorum discessum, præter gratiarum actionem debitam, ob tanti temporis moras cum ingenti patientiâ & labore consumptas, pręcipuè verò quod Clementissimi Legatorum Domini Principales, salutis publicæ amore, cum non exiguis sumptibus, tractationi huic immorari voluerint, hanc insinuationem & declarationem scripto ad rei memoriam traderemus: cui iam mandato, obedientissimis animis obtemperare studemus. Nempe beneuolentissimas & honoratissimas Dominationes Vestras, etiámnum meminisse speramus; quemadmodum ante triennium, ad instantiam eorum, qui ius ad Palatinatum prætendunt, interuenientibus Hispaniæ & Angliæ Regibus, res tota in eum locum fuerit adducta: vt ad prætensiones Palatinorum moderandas Bruxellis indiceretur Conuentus, in quo partium studia ad amicam dissidiorum compositionem conciliarentur. Quamuis autem Serenissimus Elector & Dominus noster Clementissimus, in Cęsareæ Majestatis Augustissimæ memoriæ Ferdinandi II. decretis (quibus iustissimè Serenitas Sua Dignitatem Electoralem accepit, & ditiones Palatinas iure emptionis sibi

Serenitati Suæ illud imputari non posset, tanquam Imperij Romani felicitatem negligeret, potiúsque bonum priuatum quàm publicum quæreret. Et certè non Protocolla modò super istis erecta, verùm & ipsi Excellentissimi Domini Mediatores, testari possunt abundè; iam inde à primis vsque tractatuum istorum initijs, quàm nihil penitus fuerit in Clementissimo Domino nostro propensionis desideratum; sed potiùs Serenitas Sua, talem se præbuerit semper, ac gesserit; vt hoc suum benignè res accommodandi studium, quò Pax illa publica tam sibi desiderata rediret, perquàm cumulatè monstrârit. Siquidem Serenitas Sua non modò prima glaciem fregit (quemadmodum idipsum Dominus Legatus Angliæ Regis in memoriali ac declaratione suâ contestatur ac laudat) dum definito quopiam modo & conditionibus certis, ac cum istâ præsertim reseruatione expressâ, si plenissimè omni ex parte terminata controuersia fuerit; Palatinatum Inferiorem, quantâ quidem ex parte ad Serenitatis Suæ dominium pertinet, Cęsareæ Majestatis arbitrio disponendum se tradituram promisit: verùm etiam de Palatinatu Superiore, in eam quoque resolutionem descendit; vt tametsi Serenitas Sua minimè cogitet, nec verò titulo iuris teneatur vel vllo, ditiones suas ac subditos permutare pecuniâ; tamen vnius boni publici causâ, hunc quoque Palatinatum Superiorem, similiter Majestatis Cęsareæ manibus committere velit: dum ex vi modò litterarum (quas Suæ Majestatis, Augustissimæ memoriæ Dominus Parens, auctoritate & fide tam sacrosanctâ, Cęsareóque insuper Sigillo munitas dedit) integrè resti-

admodum Domini Mediatores æquum esse agnouerant, idque efficere omni ope statuerant, nisi optimam eorum intentionem exitus fefellisset; vt (inquam) Palatinæ partis Legati, à Dominorum suorum Principalium intolerabilibus, extremis & pertinacibus postulatis abduci se finerent, eáque ad terminos vtrinque tolerabiles dirigi & accommodari permitterent: quò sic tandem, diu exspectatę paci, ianua panderetur & aditus. Quandoquidem verò Dominus Angliæ Regis Legatus mandatum accepit, vt in actionibus istis diutiùs apud Cęsaris Aulam ne moretur, sed è vestigio in Angliam redeat; priùs tamen Clementissimi Regis sui mente apud Cęsaream Majestatem expositâ (quod & factum ab illo) nimirum auocationem istam nequaquam pertinere ad eludendos hosce tractatus, sed potiùs ad illos certis de causis suspendendos, ac in tempora opportuniora differendos: quandoquidem etiam Domini Commissarij Palatini, apud beneuolentissimos Dominos Mediatores (vti accepimus) eodem modo se declarârunt, séq; cum Domino Legato Anglicano citra moram abituros significârunt; iam nihil est causæ ex parte Domini nostri Clementissimi, cur illis pręscribamus modum aut legem manendi; certi, quocunque tempore aut loco, Cęsareæ Majestati Dominísque Mediatoribus opportunum aut placitum fuerit, háncce Palatinam tractationem reassumere atque continuare; Serenissimum Electorem nostrum, post significationem per litteras factam, horum tractatuum iterationem nequaquam defugiturum; sed illam promptè, quantum in se quidem positum erit, admissurum. Duntaxat illud ex-

presſè ac optimâ formâ proteſtamur, ſicut & in primis ſtatim tractatuum iſtorum initijs exceptum & reſeruatũ hoc fuit à nobis: quòd nempe omnia, quæ nomine Sereniſſimi Electoris noſtri ac Domini, tam de vtroque Palatinatu, quàm etiam de Electorali Dignitate, euentualiter & ſub conditione quocunque modo declarauimus atque obtulimus; ab omni prorſus obligatione ac præiudicio, permanere libera debeant: bonâ ſpe freti, Deum per dexteræ ſuæ Omnipotentis auxilium, compoſitionem iſtam ad finem optatum, quem nunc quidem attingere nequijt, in poſterum ſaltem directurum. Id quod Regijs & Electoralibus Spectatiſſimis Dominis Legatis, voluntate officioſâ ſignificare debuimus; ad omnia interim grata illis obſequia exhibenda parati.

*Sereniſſimi Electoris Bauariæ, ad Palatinos tractatus, deputati Conſiliarij atque Legati.*




FINE